

V
B
J
C
58912
III

DE EPISCOPATU KIOVIENSI

CUIUS SEDES OLIM FUIT KIOVIÆ
NUNC VERO ZYTOMIRIÆ IN UKRAINA
EIUSQUE

PRAESULIBUS BREVIS COMMENTATIO

QUAM EX SIMONIS OKOLSCII OPERE
ET EX VARIIS ANTIQUIORIBUS MONUMENTIS
DESCRIPSIT
AD PRÆSENSQUE VSQUE TEMPUS PERDUXIT
CHRISTIANUS GOTTLIEB FRIESIUS

VARSAVIÆ MDCCLXIII. 1763



ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO
JOSEPHO ANDREÆ
EX COMITIBUS IUNOSSIIS
ZALUSCIO

EPiſcopo Kievienſi & Czerniechovienſi, Præſuli aſſiſtenti Solii Pontificii, Aquilæ Albæ Equiti Torquato Præſidi Tribunalis Ærarii & Exercitus Radomienſis, Abbati Fontaneti in Gallia, Villariæ Betnaci in Lotharingia & Vanchocenſi in Polonia; Præpoſito inſignis Eccleſiæ Regiæ Varſavienſis, Academiarum Scientiarum Petropotanæ, Berolinenſis, Bononienſis Collegæ honorario

Litterarum in Regno Poloniæ Protectori & Altori munificentiſſimo Commentationem hancce de Cathedrali Kiovienſi ejusque Præſulibus. Submiſſa devotione

D. D. D.

CHRISTIANUS GOTTLIEB FRIESIUS

COMES ILLUSTRISSIME
DOMINE INDULGENTISSIME



Cui opusculum hocce de Cathedrali Kioviensi olim in Polonia celeberrima, quaque nunc Zytomiriæ floret, de eiusque Præsulibus conscriptum, meliori iure inscribere dedicareque possem, quam Tibi, Præsul Reverendissime, Tibi cui omnia quæ in eo sunt atque reperiuntur, debeo.

Tu enim me non tantum ad hunc laborem suscipiendum invitasti, & liberali manu omnia necessaria, ex Tua instructissima Bibliotheca quam humanissime porrexisti Documenta, sed &, quod plurimum, Tuo sumtu id in Publicum prodire fecisti.

Non sufficit enim Tibi, Præsul Doctissime, librorum præstantissimorum lectissimorumque amplissimam copiam summa cura, diligentia, magnisque sumtibus congessisse, hasque divitias, quales Polonia nunquam vidit, usui publico dedicasse; Sed adhuc quosvis eruditos, Tuum præsidium petentes summa humanitate amplecteris, ad studia, præcipue Patriæ, excitas, facilitatemque summam in iuvandis eorum laboribus quam lubentissime præbes.

Id quod inter tam multos, & ego, per omne illud tempus, ex quo in Polonia versor, sat satisque sum expertus.

Tu enim Præsul gratiosissime aditum benignum semper mihi concessisti, ad studia mea Polona manus auxiliatrices præbuisti, & ad opuscula mea, quæ luci publicæ exposui ex pulcerrima Tuo musarum Templo, seu ex instructissima, quam quotidie adhuc magno delectu ac sumtu adauges, Bibliotheca, omnia, quæ ad ea componenda necesse habui rara liberalitate porrexisti.

Quid mirum igitur, quando doctorum hominum Societates; quando summi viri iidemque eloquentiæ Principes, Tuaque inprimis Patria, Te Præsul doctissime splendidissimis verbis ad cælum extulerunt, sibique sempiternæ ducunt gloriæ Te laudasse, Te, cuius litterarum omnium, Patriarum maxime scientiam non ignorant, Te cuius scripta varia atque eximia in manibus habent, Te denique cuius studium plane incredibile in excitandis ornandisque liberalibus doctrinis tam multi eruditi exteri æque ac indigenæ sunt experti.

Ad hæc in Te, Comes illustrissime, supra consumatam Sanctissimi Præsulis, magnique Senatoris prudentiam, vetustam stirpem & quidquid fortuna maiorum virtuti tribuit, videmus.

Iam omnes pietatem, præcipuum humani animi bonum, iam Tuam religiosam munificentiam, iam denique indefessum laborem, quo sacra curas, admirantur.

His impulsus incitamentis, Præsul integerrime, Commentationem hancce de Cathedrali Kioviensi eiusque Præsulibus, cuius Tu nunc infula es exornatus, offero dedicoque, nihil dubitans, Te ea frontis & animi comitate, qua Delicium Regni huius a Musis merito appellari meruisti, hoc quidquid est, suscepturum.

Quod reliquum Deum T. O. M. supplex veneror, ut Te, Præsul ornatissime atque gratiosissime in Patriæ bonum, in Ecclesiæ utilitatem, in familiæ Tuæ illustrissimæ decus & in commodum seculi, precipue vero & in Musarum solatium, quam diutissime velit superesse. Dabam Varsaviæ A. R. S. Kal: Febr. M. DCCLXV.



CAPUT PRIMUM
DE KIOVIENSIS EPISCOPATUS ORIGINE.

§. I.

DE Kiovienſis Epiſcopatus origine, eiusque fundatione, in tanta autorum diſſenſione, aliquid certi proferre atque ſtatuere, difficilius eſt, quam quis credere poſſit. Veterrima enim documenta, non tantum temporum iniuria, & bellis continuis, quæ ſeculis ſuperioribus, mox cum Turcis & Tartaris, mox cum Ruſſis & Coſacis fuerunt geſta, ſed & ipſo denique igne, qui præcipue bellis domeſticis, omnia his in regionibus vaſtavit, funditus pene perierunt. Et quæ adhuc caſu quodam fuerunt conſervata, hæc a Græcis vel ſunt combuſta, vel in eorum Monaſteriis occulta & reiecta iacent.

§. II.

Originem eius alii ſtatim ad Vlodimiri Magni tempora referunt, alii eam anno 1221. abſcribunt, alii rurſus eius erectionem anno 1321. factam eſſe volunt, alii denique eam Vladislao Iagelloni attribuunt.

§. III.

Cromerus, ſcriptorum Polonicorum facile princeps Vladislaum Iagellonem, Poloniæ Regem, huius Epiſcopatus nominat fundatorem, qui eum poſt magnam illam, prope Grunewaldam de Equitibus Teutonicis reportatam victoriam, inſtituiſſe videtur. *a* Cui ſententiæ & alii accedunt, licet de anno inter ſeſe diſputent. *b* Sed errant hi omnes, quia huius Epiſcopatus origo, ut documentis authenticis probari poteſt, longe eſt antiquior. Hoc tamen libenter concedimus, hunc Epiſcopatum, a Rege Vladislao reſtauratum largiterque donatum, totam aliam induiſſe formam, & ex eo tempore Epiſcopos ſuos a Poloniæ Regibus nominatos, interrupta nunquam fere ſerie habuiſſe.

a Cromerus Libro XX. ſub anno 1432.
b Ruſſelius in Triumpho fol. 18. Godzimirius p. 67. Bzovius in Annal. Eccleſiaſt. Num. 12.

§. IV.

Naramovius, qui compilatoris inconſiderati plus, quam boni autoris nomen meruit, eius originem anno 1321. adſcribit & Petrum Viſſum primum facit Epiſcopum. Error iſte eſt eo maior, quia, quod ad Chronologiam attinet, dictus iſte Viſſus tunc temporis nondum erat natus, & quod ad Hiſtoriam, ſatis

ſatisque conſtat, eum nunquam Cathedram Kiovienſem occupaſſe *

* Petrus Viſſus, celebris iuris Conſultus, ex antiqua Acervorum familia, per varios honoris gradus ad Cancellarii munus apud Reginam Hedvigem pervenit, cuius quoque commendatione, anno 1392. a Bonifacio IX. Summo Pontifice, Epiſcopatum Cracovienſem obtinuit. Quia in aliis Academiis, præcipue vero Pariſiis & Pragæ litteris olim incubuerat, Reginæ autor ſuaſorque fuit, ut Academia Cracovienſis, ſecundum prædictarum Academiarum ſtatuta & leges erecta, ad ſuam tandem perduceretur perfectionem. Doctos igitur viros, Regis Reginæque iuſſu & ſumptu, Pariſiis & Praga Cracoviam conduxit, & cum ſolennis erectionis actus anno 1400. celebraretur, ille primam lectionem ex iure Canonico publice habuit, & a Rege Academiæ Cancellarius fuit conſtitutus. Bona, a Regina in Academiæ uſum deſtinata, ſumma fide & religione adminiſtravit, eaque de ſuis adauxit. Regis poſtea iuſſu ad Concilium Piſanum eſt profectus, & ſingulari religione erga Sanctiſſimi ſalvatoris Noſtri ſepulcrum incenſus, peregrinationem Hieroſolymam, cum abbate Tynecenſi, & duobus fratribus Conventus Michovienſis inſtituit. Religioſus vero hic conatus ei fuit exitio. Redux enim ex terra ſancta, Romæ morbo decubuit, poſtea ſe Venetias transferri iuſſit, ut ibi a medico, qui ob artis ſuæ peritiam magnum ſibi paraverat nomen, curaretur. Sed quia Italiæ aerem ſufferre non poterat, medici ſui ſuaſu, in Poloniam rediit. Animo igitur & viribus valde debilitatus, multum temporis conſumſit, antequam in priſtinum reſtitui poterat ſtatum. Dolo tandem Alberti Iaſtrembecii, Poſnanienſis antiſtitis, anno 1412. propria ſede, in qua annis XX. pie ac religioſe ſederat, exutus, per Ioannem XXII. Pontificem Maximum in Poſnanienſem eſt translatus; in qua, cum annis vix duobus fuiſſet, ſenio, moerore & laboribus gravatus, in Curia epiſcopali. *Ciążeń* dicta, pia morte obiit & in Poſnanienſem Eccleſiam relatus, ibidem eſt ſepultus. Vir omni laude digniſſimus, in pauperes, egenos & quoslibet miſeros non tam liberalis & munificus, quam profuſus. Muſarum in Polonia ſtator & promotor.

§. V.

Okolſcius in Ruſſia Florida, confuſe tantum de Kievienſis Eccleſiæ Epiſcopis loquitur, *a* In alio vero opere, quod ex profeſſo, de Kiovienſibus & Czerniechovienſibus Epiſcopis conſcripſit, ipſe fatetur, eius originem longe eſſe antiquiorem *b* quam Cromerus & alii velint.

a Pag: 57. & 58. ubi Gerhardum, primum Ruthenorum, & Henricum Kiovienſium Epiſcopum appellat. Sed tota via aberrat, quando dicit, quod primus fuerit præſens ad ſublevationem reliquiarum S. Hyacinthi Cracoviæ, tempore Prandotæ Epiſcopi Cracovienſis. Conſtat enim apud omnes, hæc minime Sancti Hyacinthi ſed Sancti Stanislai fuiſſe oſſa.

b Hoc infinitæ raritatis opus, anno 1646. Leopoli eſt impreſſus, & talem præ ſe fert titulum. Chiowienſium & Czerniechovienſium Epiſcoporum Sanctæ & Catholicæ Eccleſiæ Romanæ Ordo & Numerus.

§. VI.

Jam ante triſte iſtud ſchiſma, a Michaele Cerulario, Conſtantinopolitano Patriarcha anno 1038. motum, religio Chriſtiana ſecundum ritum Romanum, his in regionibus erat in uſu, & Græci unionem cum eccleſia Romana colebant. Kioviæ quoque Duces, poſt hoc ſchiſma, fortiter cum Latinis tenebant, & Iaroslaus, nolens amplius habere ex gremio Conſtantinopolitani Patriarchæ Metropolitam, nec aliquem ex Græcis, ſuum Monachum Hilarionem, anno 1051. Metropolitam Kiovienſem conſecrari iuſſit. Etiam Ephraim, qui anno 1092. Metropoliæ Kiovienſi præerat, Sanctæ ſedi Romanæ erat obediens, atque ab Vrbano II. Pontifice Maximo, inſtitutum Feſtum translationis Sancti Nicolai ſuſcepit, quod Græci quidem non receperunt, Ruſſi vero ad noſtra usque tempora IX. Maii celebrant. Dux Iſaslaus cum Clemente Metropolita ſuo, pariter ſummo obediebat Romano Pontifici, & in eius conſecratione anno 1146. facta, caput Sancti Clementis, Summi Pontificis, quo Cherſonenſis Epiſcopus, Ducem Vlodimirum ad baptiſmum ſuum donaverat, vertici ſuo imponebatur. Cumque anno 1170. Ioannes, a Conſtantinopolitano Patriarcha, Metropolita huc mitteretur a Roſcislao, Kioviæ Duce, peregre,

nec ſine Imperatoris precibus maximis, donisque ab eo oblatis, fuit ſuſceptus. Tandem & iſte unionem ab Alexandro III. Pontifice Maximo poſtulavit. Anno 1200. Latini Conſtantinopolim tenebant, & per hoc tempus unio læte viguit, *a* nec interrupta fuit, cum Græci anno 1350. Conſtantinopolim recuperarent. Nam Michael Palæologus unionem ſuſceperat, & Patriarcha Ioannes Wek, Innocentio Papæ erat obediens. Hic anno 1283. Maximum, natione Græcum, Kioviam Metropolitam miſit, qui conſtanter cum Romana eccleſia tenuit. Et Petrus Ruſſus, eius ſucceſſor, qui anno 1307. Metropolita Kiovienſis fuit electus, & a Ruthenis pro ſancto habetur, cum Romana Eccleſia quoque conſenſit. His igitur bene ponderatis, nemo mirari debet, quando non nulli autores dicunt, Kiovienſes, hoc rerum ſtatu, & ſuos habuiſſe Latinos Antiſtites. Exempla Gerhardi & Henrici hoc ſatis abunde demonſtrant. Ab illo igitur Henrico, qui ad Kiovienſium Ducum preces, anno 1321. in Epiſcopum fuit conſecratus & miſſus, Okolſcius noſter, ſuos exorditur Epiſcopos, quem ordinem quoque Nieſiecius, in libro, de inſignibus & familiis Polonis, patrio ſermone conſcripto, retinet.

a Cromerus, ſub Miecislao ſene, libr: VII. ubi dicit: Balduinus Gallus, poſt pulſum Alexium Haliciam, & occiſum filium eius, ſucceſſit Imperator Conſtantinopolitanus, qui Orientem, ſublato ſchiſmate, Romanæ Eccleſiæ, reconciliavit & ſubdidit.

§. VII.

Bzovius, & Nakielſcius in Michovia, Okolſcii ſententiam ſuffulciunt, & talia producunt documenta, quæ non tantum probant, Henricum hoc tempore Kiovienſem fuiſſe Epiſcopum, ſed quoque edocent, huius Epiſcopatus originem longe eſſe antiquiorem. Bzovius enim ea, quæ in Bibliotheca Vaticana, hac de re, invenit documenta proferens, ſic dicit: *Ante centum annos, anno* 1321, *propter Schiſma Græcorum, Paſtorem, Clerum & populum Catholicum Romanum deſierant habere Chiovienſes. Tandem anno* 1321. 18. *Calend: Ian: ad inſtantiam Ducis & Nobilitatis Kiovienſis, Epiſcopum, a Ioanne primo Pontifice Maximo, obtinuerunt Henricum.* Et Nakielſcius, in hiſtoria Monaſterii Michovienſis, quam ex huius Eccleſiæ Archivis contexuit, pag. 247. de Cathedra Kiovienſi, ſic loquitur. *Hoc tempore, anno videlicet* 1321. *Kiovienſes antiquitus Galatæ appellati, cum iam a centum annis, propter dogma Græcanicum, Paſtorem, & Clerum Catholicum, quin & populum Chriſtianæ religionis habere, deſiiſſent, Stephanus, Epiſcopus Lubuſſenus, privilegio Sedis Apoſtolicæ innixus, fratrem Henricum, Dominicani inſtituti, Epiſcopum illis præfecit, qui Avenionem profectus, a Ioanne Pontifice confirmationem accepit, ſacris eum initiante, Berengario, Epiſcopo Portuenſi, XVIII. Kalendar: Ianuarii.* Per ambas has relationes luculenter apparet, Kiovienſem Epiſcopatum eo tempore, hoc eſt, anno 1321. minime eſſe erectum, ſed iam antea extitiſſe.

§. VIII.

Si evolvimus autores, qui aliqua florent autoritate, nec minima in eis invenimus indicia, quod anno ſupradicto, his in regionibus Epiſcopatus fuerit erectus. Vladislaus enim Locticus, qui tunc temporis Poloniæ ſceptrum tenebat, pauca in Eccleſiæ uſum fecit, quin immo plura neglexit. Sub eo enim Riga, Gneſnenſi Archiepiſcopatui fuit erepta, & Cracovienſi cathedræ Biecium fuit ablatum *a*

a Cromerus libr. II.p. 191. - 192.

§. IX.

Alii, qui rem acu tetigiſſe credunt, dicunt: eſſe hac in re errorem ſcribæ, qui loco 1321. debuiſſet ſcribere 1221. & hunc Epiſcopatum tempore Sancti Hyacinthi fuiſſe erectum exiſtimant. Hanc opinionem fortiter defendunt, ſcriptores, qui de hoc Sancto tractarunt, ut Severinus & Grodicius, in vita eius *a* Iſti autem omnes perhibent, Epiſcopos Ritus Latini, templum Cathedrale, aut Parochiale Kioviæ non habuiſſe, ſed cultum divinum in Dominicanorum eccleſia exercuiſſe. Non errant hi quidem, ſed rem modo tam confuſe exponunt, ut illuſtratione egeat. Autores iſti debuiſſent diligentius explicare, an ante ſancti Hyacinthi adventum iam ritus Latini Epiſcopus Kioviæ fuerit, & ſi hoc verum, ex qua fundatione Gerhardus conſecratus fuerit, ubi ſedem ſuam habuerit, quænam Eccleſia in Cathedram fuerit erecta, vel ſi iam antea Cathedralis ibi fuerit, & ſi iſta eccleſia adhuc eo tempore fuit, quo dictus Gerhardus ibi advenit, vel ſi Sancti Hyacinthi demum tempore, Cathedralis Eccleſia fuit erecta, & quo in loco. Debuiſſent ſimul exprimere, an Dominicanorum Eccleſia, vel alia facta ſit Eccleſia Cathedralis. Sed de hoc ubique altum eſt ſilentium.

a Libr. I. c. 15.

§. X.

Grodicius dicit, Hyacinthum, Ruſſiæ Ducis precibus Conventum & Eccleſiam Kioviæ in honorem Sanctæ Mariæ erexiſſe, & ſocium, quem ſecum habuit cariſſimum, in eo ſuperiorem conſtituiſſe. Sed hæc Eccleſia non fuit cathedralis, ſicut infra clare videbimus, nec in uſum Epiſcopi vel in Cathedram erecta, ſed unicè pro ordine ſuo, & pro propaganda fide Chriſtiana, cum Conventu fuit exſtructa. Quod S. Hyacinthus vero quinque annos Kioviæ fuerit, minime probari poteſt, & Grodicius ipſe, alio loco ſibi contradicit, ſcribens: Hyacinthum anno 1234. Cracovia eſſe profectum in Pruſſiam, inde in Ruſſiam abiiſſe, & anno 1238. Cracoviam revertiſſe. Quia igitur ad minimum annum in Pruſſiæ eſt moratus, unumque ad iter tam longum adhibuit, vix igitur duos annos Kioviæ manere potuit.

§. XI.

§. XI.

Hoc verum eſt, templum ordine ſuo impletum dignitatem epiſcopalem recepiſſe, quia Gerhardus, primus ordinis huius Kiovienſis Epiſcopus, ſedem ſuam, ob rationes, quas infra audiemus, ibi fixerat. Sed hoc non Anno 1221. vel 1232. eſſe potuit, ſicuti plurimi autores ſcribunt, Bzovio enim teſte, hic Gerhardus Anno 1234. demum a Gregorio IX. Pontifice Maximo, Ruſſorum Epiſcopus fuit creatus, *a*. & ante annum 1241. ob varias turbas in Ruſſiam non venit.

a In Propagine S. Hyacinthi cap. II. & VII. fol. 1.

§. XII.

Cromerus confirmat, quæ diximus, ſcribens *a* Gerhardum, Ruſſorum Epiſcopum anno 1253. præſentem fuiſſe Cracoviæ, cum Vito, Lithuanorum Epiſcopo, dum Prandota, Cracovienſis Antiſtes, Sancti Stanislai Martyris, Sacri Corporis reliquias ſublevabat, poſt Canonizationem. *b* Græcum vero vel Ruſſorum eum appellat Epiſcopum, quia tunc temporis Ruſſia Poloniæ non parebat, & Cathedra Kiovienſis nulli Archiepiſcopo in Polonia erat ſubiecta.

a Cromerus libr. IX. p. 155.
b Nakielſcius in Michovia p. 172.

§. XIII.

Cum vero Epiſcopatûs Kiovienſis fundatio & ortus, ut iam ſupra diximus, & adhuc infra plenius demonſtrabimus, iam ante S. Hyacinthi tempora, & Ordinis Sancti Dominici in Poloniam adventum facta eſt, inde quoque ſequitur, quod iam ante hoc tempus, Kioviæ templum Cathedrale ritus Latini exſtiterit. Baronius & Ditmarus, aliique magni nominis autores, expreſſe dicunt, in Civitate Kiovienſi, antiquiſſimis iam temporibus, quadringentas fuiſſe Eccleſias, quia igitur ſub Civitate, ſtylo Romano, tota Diœceſis intelligitur, facile eſt coniectu, quod in urbe ipſa quoque fuerint Eccleſiæ.

§. XIV.

Orlovius, qui ante decem circiter annos, Epiſcopatus & Diœceſis Kiovienſis Apologiam, ſumma diligentia, patrio ſermone, conſcriptam, typis promulgandam curavit, eius originem in annum 1021. ponit, & Boleslaum I. cognomine Chrabrum, Epiſcopatus Kiovienſis ſtatorem & fundatorem facit. *a*

b Carolus Nepomucenus Orlovius, Armorum Lubicz, erat, cum opus ſuum conſcriberet, Archidiaconus Kiovienſis, Præpoſitus Sędziſſovienſis & Koniuſcenſis, Prælatus, egregiis animi dotibus ornatus. Poſtea Decanus Capituli fuit electus, & cum anno ſuperiori Capitulum Kiovienſe, Deputatos ſuos Varſaviam deligeret, qui ſuperiori Antiſtiti, Caietano Ignatio, Soltyk ad ampliſſimum Cracoviæ Pontificis, Severiæque Ducis gradum evecto, pro Eccleſia integro novennio, ſumma cum laude adminiſtrata, gratias immortales agerent, Preſulique recens creato, Ioſepho Andreæ, Comiti *Zaluſcio*, omne officii genus ſtudiaque ſua & obſervantiam deferrent, ille quoque ad hoc munus fuit deſignatus, ſed in via de improviſo in morbum acrem et durum incidit, quo quoque eodem adhuc anno e vivis eſt ablatus. Opus ſuum anno 1748. in 4. Leopoli impreſſum, paucis adhuc eſt cognitum. Multa in ſe continet, præcipue de rebus Ruſſicis, quæ in aliis autoribus non inveniuntur.

§. XV.

Quia nova hæc opinio omnem meretur attentionem, e re erit, eius documenta ex Hiſtoria Ruſſica repetere. Vlodimirus, cognomine Magnus, duodecim habebat filios, inter quos Provincias diviſit. Quidam vero eorum hac diviſione non contenti, inteſtinas movebant turbas, & Suentopelcus, in ordine quartus, cui Principatus Twerenſis ceſſerat, fratres Romanum & Davidem, qui Principatus Roſtovienſem & Muranovienſem acceperant, bello adgreditur, & per inſidias tollit. *a* Jaroslaus, Dux Novogrodenſis, fratrem Jſaslaum, Kioviæ Ducem, pariter prælio interfecerat, & Kiovienſem Ducatum in ſuam redegerat poteſtatem, ſed certior factus de fratrum ſuorum morte, volebat eam vindicare, quia vero propter interfectum Jſaslaum in eadem erat culpa, coactus eſt, arma vertere in fratrem Miecislaum, qui ei hanc ob cauſam bellum intulerat, Miecislaus, Jaroslao prælio victo, Kioviam in prædam accipit. Hic vero pacis amans, reconciliato ſibi fratri Ducatum Kiovienſem reddit. Cum vero paulo poſt Suentopelcus Jaroslao dolos ſtruere cogitaret, hic, hac de re per exploratores ſuos certior factus, eum inopinato adgreditur, & prælio victum, in Poloniam abire coegit. *b* Boleslaus, Poloniæ Rex, Suentopelci precibus motus, exercitum parat, & cum eo in Ruſſiam tendit, poſt reportatam de Jaroslao victoriam, recta via confert ſe Kioviam, & totam Provinciam occupat. *c* Reſtituta tranquillitate, Princeps hic religioſus, Epiſcopatum Kioviæ inſtituit, eique magnos aſſignat proventus. *d* Suentopelcus tandem hunc Principatum iterum recepit, ea tamen conditione, ut Sacramentum fidelitatis Poloniæ Regibus præſtaret. In reditu vero Boleslaus omnes, quos Ruſſiæ Principes Kioviæ habebant theſauros, ſecum abſtulit, & eis Eccleſias Poloniæ donavit. Kiovienſes, hac re parum contenti, inſtinctu Suentopelci, omnes Polonos clam interficiunt. Rex tali auſu indignatus, Kioviam militibus ſuis in prædam permittit, & occupatis Caſtellis, aliisque hac in Regione locis munitis, præſidium eis imponit. Poſt Boleslai diſceſſum, Jaroslaus iterum Suentopelconi bellum infert. Rex, hoc audito, magno cum exercitu in Ruſſiam redit, victoque Iaroslao, pacem inter fratres reſtituit, qua Iaroslaus in Ducatus Kiovienſis poſſeſſione manet, Regi tamen fidelitatem iurat, inter præcipuas pacis conditiones, & iſta fuit, quod Iaroslaus pro novo a Rege inſtituto Epiſcopatu, Eccleſiam Cathedralem erigeret. Hæc Sanctæ Sophiæ nomen obtinuit, & a ſummo Pontifice Benedicto

a Cromerus libr. III. pag. 53. Chronicon Monaſterii Pieczarenſis fol. 110.
b Cromerus libr. III. p. 58. Vitæ Patrum Monaſterii Pieczarenſis fol. III.
c Cromerus l. c. p. 59. Chronicon Monaſterii Pieczarenſis l. c.
d Cromerus l. c. p. 60. vitæ Patrum Pieczaro Kiovienſium fol. III.

nedicto VIII. variis Privilegiis & donis fuit ditata, qui ei quoque Alexium ex Bulgaria oriundum, anno 1021. primum constituit Episcopum *e*

e Nicanor in Cassiano in libro de ortu religionis Christianæ in Russia p. 46.

§. XVI.

Novus hic Episcopus, in Cathedra Kioviæ recens extructa, cultum Divinum secundum Ritum Latinum celebravit. Quia tunc temporis nullum adhuc erat Schisma, Religio erat eadem & magnos faciebat progressus, ad quod non parum contribuebat quod in his Regionibus multi Poloni habitabant, qui aut Regis nomine, officia publica exercebant, aut quos fundi fertilitas eo appellaverat.

§. XVII.

Prima vero hæc fundatio haud diu duravit & Nicanor, quem supra citavimus dicit: Alexium, ob varias persecutiones, quas præcipuè Michael Cerularius, Patriarcha Constantinopolitanus, movebat, relicta sua sede, in Patriam abiisse, nonnullosque sacerdotes de Clero suo, qui sacra curarent, constituisse. Rex huius novæ fundationis curam Russiæ Principibus quidem demandaverat, multi vero eorum, bellis continuis distracti, ab initio istam fundationem negligebant, nonnulli vero eorum, sicut ex §. VI. patet, cum Romana Ecclesia unionem colebant. Tandem & ipsi a summis Pontificibus Episcopos iterum petebant, sicut Henrici & Gerhardi exempla edocent. Quia vero hi Episcopi a Polonorum Archiepiscopis non pendebant, ab eorum quoque historicis fuerunt neglecti. Quod vero Ecclesia Sanctæ Sophiæ Ritus Latini fuerit, ex sua prima patet fundatione, & ipsa Kioviensis Capituli arma, quæ istius Sanctæ imaginem repraesentant, hæc confirmant abundè.

§. XVIII.

Verum quidem Theopompum, Kioviensem Metropolitam, istam Ecclesiam quoque pro Græcis consecrasse. Sed hoc factum est post Alexii abitum, & cum Schisma a Cerulario motum, his in Regionibus iam fundamenta iecerat, ex hoc vero minime sequitur, eam ab initio non fuisse Ritus Latini. Hilarion & Clemens, sicut iam supra §. VI. diximus, in ea quoque fuerunt consecrati. Sed vera huius rei causa erat, quia Russiæ Principes, nolentes, Metropolitas suos habere a Pariarchis schismaticis consecratos, hoc faciebant in signum unionis, quam cum Ecclesia Romana constanter colebant. Inhumatio quoque multorum Russiæ Principum & Metropolitarum hanc unionem satis luculenter demonstrat, nam isti & post mortem in sinu matris Ecclesiæ Catholicæ quiescere volebant.

CAPUT II.

DE CATHEDRA KIOVIENSI.

§. I.

Cathedram Epiſcopalem iam antiquitus, & quidem ante huius Epiſcopatus reſtaurationem, à Vladislao Iagellone anno 1412. feliciter ſuſceptam, Kioviæ fuiſſe, ſupra iam diximus, & adhuc infra melius demonſtrabimus. Poſtquam vero ea a Schiſmaticis erat occupata, & tota iſta Provincia per Pacta in Moſcorum ditionem conceſſerat, *a* Kioviensſes Epiſcopi Ritus Latini, nullam amplius firmam Kioviæ habebant ſedem

a Pacta hæc, anno 1687. a Grzymultovio, Poſnanienſi Palatino & Oginſcio M. D. L. Cancellario, concluſa, plerumqua Pacta Grzymultowſkia audiunt, quæ ut ſanctiora forent, iuramenta utriusque partis Monarcharum, per reciprocas Legationes fuere poſtulata, hunc in finem ex Ruſſia advenerant Principes Szeremet & Nicanor, qui Leopoli, Rege præſente, pacta confirmarent, & ſacrum contra Turcas vinculum, iurata ſupra libro Evangeliorum fide, roborarent. Zaluſcius in Epiſtolis T. II. p. 1007.

§. II.

Circa Epiſcopi illius Ozgæ demum tempora, cui ſicut in eius vita audiemus, Cathedra Kioviensſis multa debet, iterum tutum & ſtabilem Zytomiriæ invenit locum. Eſt vero Zytomiria oppidum Regium, in Palatinatu Kiovienſi ſitum, quod quoque ad præſens pro Metropoli Palatinatus habetur, ibique Comitiola, iudicia Terreſtria & Caſtrenſia peraguntur. Hocce in oppido antiquiſſimis iam temporibus Parochialis fuit Eccleſia *a* iniuria vero temporum tota erat collapſa. Seculo ſuperiori Ioannes Tyſzkievicius, prius Samogitiæ, poſtea Vilnenſis Antiſtes, eam ſumptu ſuo reſtauraverat, omnibusque neceſſariis inſtruxerat, bello tamen Coſacico funditus iterum fuit everſa, adeo, ut Viſitationis tempore, quam pius iſte Præſul, anno 1724. inſtituit, ibi, ubi olim eccleſia ſteterat, locus tantum erat deſertus.

a Okolſcius ſub armis Leliwa.

§. III.

Hic vero pietate atque Religione ductus, hunc locum in Cathedræ novæ ſedem elegit, & anno ſupradicto, prima ibi iecit fundamenta. Templum, quod proprio ſumptu extruendum curavit, ex ligno quidem tantum erat erectum, ſatis tamen elegans, turribusque ornatum. Moles vero hæc grandis, ob artificis imperitiam, diu ſtare haud potuit, ſed brevi tempore poſt ruinæ fuit ſubiecta. Parietes enim, licet ferreis ſuffulti eſſent fulcris, hanc tamen altitudinem & latitudinem ſuſtinere non poterant. Ne tamen fidei ſanctæ hoſtes, talem inceptum & laborem irriderent, idem iſte Epiſcopus, Cathedram hanc, aliis Baſilicis parem, ex cocto latere, ſumptu maximo, cum duabus turribus &

Capellis

Capellis ædificandum ſuſcepit, eique titulum aſſumptæ in Coelum beatæ Virginis Mariæ indidit.

§. IV.

Hanc ædem omnibus neceſſariis abunde exornavit. Stant enim ſuo ordine altaria, viſuntur organa, conſpiciuntur imagines, miſſalia, campanæ, libri. Habentur in Theſauro argentea oſtenſoria, pixides, calices, Cruces, quin imo tota Eccleſiæ ſuppellex. Numerantur in apparatu pretioſo, planetæ, pluvialia, Dalmaticæ, antependia, mappæ, humeralia, cinguli ac omne, quod bene ornatam decet Eccleſiam ſed, hoc non erat ſatis, poſt finitum enim iam opus, quolibet adhuc anno 5000. florenorum Pol. ad vitæ ſuæ tempus in ædificii huius reparationem adſcripſit.

§. V.

Quia vero pulchra habitatio ſine habitatoribus parum valet proinde, ne huic Eccleſiæ aliquid ornamenti deeſſet, bonis eam implevit viris. Viginti ſex millia pro fundatione Vicariorum obtulit, eandemque optimis legibus circa cultum divinum inſtruxit. Vice Decanum, Vice-Cuſtodem, Concionatorem ac-Reſidentem Canonicum fundavit ac conſtituit. Nunc munus Concionatoris, obeunt Patres Soc. Jeſu.

§. VI.

Hæc Eccleſia Cathedralis ſimul eſt & Parochialis, quæ ſuo fundatori liberaliſſimo in perennem memoriam & animi gratitudinem tale, auro in marmore notatum, poſuit elogium.

Anno Domini

MDCCXLVI.

Samueli Joanni de Oſſa Ozga, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopo Kiovienſi & Czerniechovienſi.

Eccleſia obligationem, pro integritate, Patria gratitudinem pro libertate, Maieſtas benevolentiam, pro fidelitate, Senatus Authoritatem, pro conſiliorum ſublimitate, Curia immortales gratias pro legum immunitate, Capitulum æviternam memoriam pro Paſtorali & Paterna Charitate,

Diœceſis infinita obſequia, pro ſui dilatatione, Hoc templum Cathedrale ſuffragia, pro ſui munifica fundatione. Debent.

Primus Præſul, in quo uno eſt, quod mirentur & imitentur poſteri, invideant Prædeceſſores.

CAPUT III.

De Ecclesiis Cathedralibus antiquis Ritus Latini, quæ Kioviæ fuerunt.

§. I.
DE CATHEDRA SANCTAE SOPHIAE.

PRima Ecclesia Ritus Latini simulque Cathedralis fuit Ecclesia Sanctæ Sophiæ à Iaroslao Russiæ Principe, exstructa, in eo quidem loco, ubi nunc est Cathedra Archiepiscopalis Ritus Græci, & licet tempore, quo Cathedra ista proprio suo pastore erat orbata, Græci, orto Schismate, in ea sacra peragerent, nullus tamen Metropolitarum sibi eam attribuere est ausus, sed Ecclesiam Sancti Michaelis, a Michaele, primo Metropolita erectam, & in Cathedram Russiæ conversam, ad usum suum habebat, temporum postea iniuria, & Tartarorum incursionibus, Ecclesia Sanctæ Sophiæ penitus fuit destructa & collapsa, præcipue, quia omnes Episcopi, instituti Sancti Dominici, sedem suam in Ecclesia, a Sancto Hyacintho exstructa, habebant, & per Clerum ibi tantum sacra peragebant. Et quanquam post Kioviensis Episcopatus restaurationem. anno 1412. a Vladislao Jagellone factam, ista Ecclesia iterum fuit reparata, & Michaeli primo, a dicto Rege nominato, vel ut melius dicamus, confirmato Episcopo, in Cathedram fuit data. Ille tamen, sicut omnes sequentes Episcopi Ordinis Sancti Dominici, ob commoditatem & securitatem, in Ecclesia & Conventu Ordinis sui habitabat. Sub Andrea Michaelis I. successore an: 1416. per Tartaros fuit spoliata & una cum civitate exusta, & licet ea a pio eius successore Michaele II. non mediocri sumptu fuerit restaurata, sacraque supellectile deinceps instructa, Metropolitæ tamen Russiæ post restaurationem raro, & non nisi Episcopi permissu in Ecclesia Sanctæ Sophiæ sacra faciebant. Cum vero postea ob Schismata & crebras Tartarorum invasiones, Episcopi Kiovienses, Ritus Latini, qui iam non amplius instituti Sancti erant Dominici, raro in Cathedram suam venirent, quin imo eam penitus negligerent, hæc Ecclesia semper magis magisque in ruinam abiit, adeo, ut sacra ibi amplius agi vix possent.

§. II.
DE ECCLESIA CATHEDRALI SS. PETRI ET PAULI.

Hoc igitur rerum statu, Kiovienses Episcopi, meliora expectantes tempora, ligneam sibi exstruxerant Cathedram, quæ divo Petro & Paulo fuit consecrata. Sed & ista, temporum iniuria tota iterum erat collapsa, adeo, ut Episcopus Kazimirscius, ex Bibersteinorum gente, qui initio seculi præteriti ad hunc Episcopatum pervenit, & Cathedram suam diligenter visitabat,

vix

vix ſacra in ea peragere poſſet. Quia igitur hæc Eccleſia minori ſumptu, quam magna illa Sanctæ Sophiæ moles, denuo exſtrui poterat, conſtituit eam e lapide erigere, quem lapidem, cum circa Kioviam habere non poterat, nec materiam, ex qua cementum conficiebant, magno ſumptu per multas leucas conducere fuit coactus. Adhæc Græci magna ei faciebant obſtacula, adeo, ut ei cum his inimicis fortiter eſſet diſputandum, antequam opus tam ſalutare perfici poterat. Schiſmatici enim, invidia ducti, libenter poſtea antiquam ſanctæ Sophiæ Cathedram ſibi vindicaſſent, nullus tamen Metropolita, licet eſſet Schiſmaticus, tale quid audebat.

§. III.

Sigismundum III. qui fortiter pro unione laboravit, excepit Vladislaus IV. Cum igitur eum indulgentiorem & remiſſiorem cognoſcerent Græci, hac ſpe obtinendi adhuc Ruſſiam, ad Comitia Coronationis ſuos quoque miſerunt Legatos, qui inter propoſitiones ſibi concreditas, & hanc publice proponebant, ut Eccleſia Sanctæ Sophiæ Græcis permitteretur. [a]

[a] Nullum certius Documentum hoc eſſe poteſt, quod dicta Eccleſia ſemper Ritus Latini fuerit, cæteræ propoſitiones erant;
Ut Cathedræ Praemiſlienſis & Luceorienſis unitæ Epiſcopis Ritus Greci redderentur.
Ut nova Cathedra Ritus Græci non uniti Mſcislaviæ erigeretur.
Ut Academia Kioviæ pro Græcis fundaretur. Quod ad Eccleſias attinet, Senatus, præcipue vero Epiſcopi, fortiter ſe opponebant & quidam Epiſcoporum de unitis Romam fuit miſſus, conquerens nomine omnium, de iniuria & oppreſſione, quam uniti ſufferrent Quod vero ad Academiam ſpectat, Vladislaus eam Græcis permiſerat, ſed nullus Cancellarius hoc Privilegium Sigillo munire auſus eſt. Kwiatkiewicz, & ex eo Orlowſki in Deſenſa p. 350.

§. IV.

Poſt acceptam repulſam, Rege tamen clam eis favente, Petrus Mohila, Palatini Moldaviæ filius, qui poſt Apoſtaſiam ſuam, a Schiſmaticis Antimetropolita erat factus, anno 1632. hanc Eccleſiam inopinate occupavit, & in ſedem Metropoliæ ſuæ elegit, antiquam vero Metropolim, id eſt, Eccleſiam Sancti Michaelis, penes quam Kiovienſium Metropolitæ antea ſedem ſuam habuerant, & penes quam eius quoque Anteceſſor Boreciius ſederat, mortuus & inhumatus fuerat, in Coadiutoriam Metropoliæ Kiovienſis tranſmutavit, & ex eo tempore dicta Eccleſia ſemper in Græcorum manibus remanſit.

CAPVT IV.

De Conventu & Eccleſiis a Sancto Hyacintho & Dominicanis Kioviæ erectis.

§. I.

POſt varia Miracula, quæ Sanctus Hyacinthus Kioviæ fecerat, a Duce Vlodimiro in curiam ſuam fuit receptus. Antiqua Sanctæ Sophiæ Eccleſia & Cathedra Epiſcopalis adhuc quidem exiſtebat, ſed valde iam erat ruinæ proxima ac ſubiecta,

cta, & ille non audebat, propter multa obstacula, quæ ibi inveniebat, præcipue a parte Iosephi Metropolitæ, eam occupare, eoque magis, quia non tanquam Episcopus ibi erat missus, sed tantum eo fine ibi venerat, ut Religionem Christianam propagaret, & pro ordine suo locum haberet tutum. Ab initio quoque satis optatum habuit successum. Vlodimirus enim paulo post non tantum ei locum pro Ecclesia & Conventu ordinis sui concessit, sed & ipse, reiecto Schismate, unionem fidei iuravit. Hæc Ecclesia in egregia erat exstructa planitie, ante portam Kozomiacka vel Kazimiriana dictam, prope montem Iadnow, ubi nunc Monasterium Floræ & Lauræ visitur, ut eo tutius ob Sacerdotum Græcorum persecutiones, sacra ibi facere posset.

Quia multæ Virgines de aula Principis, multum in eius exstructionem contulerant, hoc templum quoque Beatiss. Virgini Mariæ fuit dicatum. Inprimis nobilis quædam matrona, multarum possessionum hæres, omnes suas divitias ad fratrum Dominicanorum pedes resignavit.

§. II.

Vlodimirus Dux, piæ Matronæ intentum non modo approbavit, sed & bona Conventui consignavit, id quod ex eorum confirmatione, quam frater Thomas, Conventus Kioviensis Prior, a Duce Alexandro, anno 1411. 8. Augusti Vilnæ obtinuit, satis superque apparet. Gaudium tamen hocce non fuit diuturnum. Vlodimirus enim, instinctu Metropolitæ, qui verebatur Ritum Græcum per fratres Prædicatores videlicet Martinum de Sendomiria, Priorem Kioviensem, & alios fratres eius, utpote Viros religiosos, & exemplares pessundari & confundi, præfatos fratres de Ecclesia Mariæ ordini præfato consignata, & circa quam suum habebant conventum, expulit, & redeundi facultatem eis interdixit. *a*

a Okolscius in Russia Florida: p. 9.

§. III.

Post exactos fratres Polovcii magna manu invaserunt Kioviam, quam nedum vastarunt, sed etiam desolatam reliquerunt. Corruerant templa & Monasteria Russorum, ecclesia vero fratrum intacta remansit. Revocati quidem iterum sunt fratres per superiores suos, & alios Catholicæ Religioni addictos, ad locum occupandum, sed Pax non diu duravit. Tartari enim anno 1341. numeroso exercitu Kioviam invaserunt, & orantes fratres gladio astris adscripserunt *a*.

Hac quoque occasione Privilegia concessa, una cum Monasterio conflagrata perierunt.

a) Okolscius in Russia Florida p. 138. dicit: occisi a Tartaris Pater Albertus & Pater Dominicus. p. 90. vero fratres ibidem sagittis, gladiis & lanceis interfecti.

§. IV.

§. IV.

Circa hæc tempora advenit Gerhardus, a ſummo Pontifice ad Cathedram Kiovienſem, Epiſcopus miſſus. Hic ſedem ſuam, triſti hoc rerum ſtatu, ab initio penes antiquam quidem, ſanctæ Sophiæ, Cathedram poſuit. Poſtquam vero Populus hinc & inde dilapſus, iterum confluxerat, fratres diſperſos ad reoccupanda loca invitavit, qui Catholicorum benignitate partim ad bona amiſſa fuerunt reſtituti, partim aliis proviſi. Gerhardus hic Ordinis ſui ſociis author ſuaſorque erat, ut ob ſecuritatem Monaſterium intra Civitatem transferrent, cui nomen Sancti Nicolai indiderunt. Sed quia igne conſumpta Eccleſia, a diſpoſitione platearum amota fuerat, in loco tertio, novam e ligno conſtituerunt, quæ B. V. Mariæ fuit dicata. Hæc vero Eccleſia benedictione divina, poſt diviſionem a Polonia, e lapide ſatis eleganter fuit exſtructa, & ab Epiſcopo Kazimirſcio ſupra iam nominato, conſecrata.

§. V.

Regum denique Poloniarum clementia, bona iſta fuerunt aucta, & fratres variis bellis, peſte, tribulationibus afflicti, amplius locum non dereliquerunt. Quia igitur hic Gerhardus, primus, inſtituti Sancti Dominici, in hac regione Epiſcopus, multa pro ordine ſuo fecit, hic quoque gratum animum teſtificaturus, omnes poſteros huius inſtituti Epiſcopos, in Conventu ſuo excepit, ibi enim, longe commodius habitare & de Diœceſi inſtrui poterant.

§. VI.

Hæc igitur perpendens Severinus, in Vita Sancti[e] Hyacinthi, ſcribere potuit, eo tempore, quo Dominicani Cathedram Kiovienſem occuparunt, nullam aliam Cathedram vel Parochialem ibi fuiſſe Eccleſiam. Hic Conventus ſemper floruit, & ex diverſis villis, vectigalibus & bonis viginti quatuor fratres aluit. [a]

[a] Okolſcius in Ruſſia Florida p. 118. 119.

§. VII.

Deſolatum locum & ab antiquo omiſſum, in quo Conventus a Sancto Hyacyntho fundatus, & prima erat Eccleſia, poſt diviſionem à Provincia Poloniæ, Patres Dominicani iterum ſibi vindicarunt, & ibidem Eccleſiam Sancto Hyacintho erexerunt, quam ſuperiori ſeculo, Stephanus Axak, judex Kievienſis, munifice dotavit, adſcripſit enim in cenſum perpetuum pro Eccleſiæ & Conventus ſuſtentatione, 20000. florenorum, ut ibi 12. fratres alentur.

Hæc omnia 1638. per Rempublicam ſunt confirmata, & Patres

Dominicani in antiquam possessionem quam a Russiæ Principibus acceperant, sunt restituti.

CAPUT V.

De aliis Ecclesiis Ritus Latini, quæ Kioviæ fuerunt.

§. I.

Exceptis his iam nominatis Ecclesiis, & alia Kioviæ, Ritus Latini, fuerunt templa, Patres Societatis Iesu, Episcopus Kioviensis, Boguslaus Boxa Radoszovius ad maiorem nominis Christi et fidei propagationem iam anno 1620. Kioviam introduxerat. At illi ob securitatem maiorem, satius petiverunt in oppido Episcopali Chwastow, locum fundare, & ei nomen Faustoviam indiderunt, Verum quia postea Perehaslavia & Novogrodi in Severia loca formarent, iterum post Socolovii decessum Collegium, a Joanne Tyszkievicio, Kioviensi Palatino, anno 1645. fundatum, Kioviæ habebant, in quo Patres Stanislaus Smialkovicius & Nicolaus Cichovius celebres fuerunt. Primus horum, anno 1646. 8. Junii publicam Kioviæ habuit disputationem cum Docto Gisielio, Scholæ sive gymnasii Græcorum Rectore, quæ tres dies duravit, & per quam multos studiosorum ad sacram unionem perduxit. Huius Collegii Missionarii, fortiter pro propagada Religione Christiana laborarunt. Stetit Templum & Collegium in eo loco, ubi nunc Monasterium Annunciationis Beatissimæ Virginis Mariæ visitur. a

a Chmielowski Nov: Athen: Tom: IV. p. 550.

§. II.

Patres Bernardini alias Ordinis Minorum obsevantium ab Episcopo, Alexandro Socolovio introducti, Kioviæ quoque habuerunt Conventum, in quo fratres Andreas Leopolitanus Laicus, & Valentinus Vislicensis Laicus a Græcis fuerunt trucidati. a

a Chmielowski, l. c. p. 550.

§. III.

Fratres Ordinis Sancti Francisci de Observantia ad maiorem Sanctæ Ecclesiæ promotionem, pius magnusque ille Kioviensium Præsul, Boguslaus Boxa Radoszovius circa annum 1624. Kioviam introduxit eisque Ecclesiam exstruxit. Qui quoque, floridam augustamque Religionis Catholicæ pietatem, doctrina & devotione promoverunt.

CAPUT VI.

De Capitulo Kioviensi.

§. I.

NOn uno sæculo Matre sua orbata fuit Diœcesis Kioviensis & Capitulum sua carebat cathedra Imo Capitulum ignorabat,

bat, ubinam ſit Diœceſis propria, idcirco per varias alias, Diœceſes tutum & ſtabilem ſibi quærebat locum. Supra vero laudatus Præſul Ożga ſtatim poſt ſuum in Epiſcopatum Kiovienſem ingreſſum, omnem adhibuit curam, ut Capitulum in proprios conduceret lares, quod quoque, Deo iuvante, feliciter effecit, & pro loco ſtabili Zytomiriam elegit, ex quo Deo maior gloria, Diœceſi incrementum fidei, Palatinatui Kiovienſi ornamentum, non ſine hominum admiratione accrevit.

§. II.

Hoc Capitulum pro ſtemmate habet, Sanctam Sophiam cum tribus filiabus, quo titulo quoque antiqua Cathedralis olim Eccleſia gaudebat.

§. III.

Juxta antiquitus iam introductum uſum & conſuetudinem, nullus in Praelatorum aut Canonicorum numerum recipi poteſt, qui non prius Nobilitatem ſuam ex quatuor ſtemmatibus deduxerit, & per quatuor nobiles poſſeſſionatos eius validitatem teſtimonio confirmarit.

§. IV.

Ad Tribunal Regni Epiſcopus Kiovienſis duo nominat Membra, ex quibus Capitulum unum eligit, & ad Tribunal Regni, tanquam Judicem Deputatum, mittit. Hæc tamen prærogativa, qua omnia, in Polonia Capitula Cathedralia gaudent, per centum fere annos ab Epiſcopis neglecta, cura Andreæ Chryſoſtomi Comitis Zaluſcii, Præſulis, de hoc Epiſcopatu optime meriti, anno demum 1689. fuit reſtituta, non ſine magnis impendiis & difficultate. *a*

a Videantur: Epiſtolæ Ejus Tom: III. p. 1112. 1113.

§. V.

Hic Epiſcopatus Prælatos habet octo, Canonicos vero undecim.

Nomina Prælatorum ſunt.

1. Decanus & Officialis, *Antonius Gorczyński.*
2. Præpoſitus, *Michael Bierzyńſki.*
3. Archi Diaconus Kiovienſis, *Andreas Tokarski.*
4. Scholaſticus *Caietanus Roſciſzewski.*
5. Cuſtos *Stanislaus Bielawski.*
6. Cantor, *Stanislaus Zawadzki.*
7. Cancellarius, *Dionyſius Charlęski.*
8. Archidiaconus Czerniechovienſis & idem Iudex Surrogatus *Joſephus Rabczewski.*

Canonici.

1. *Joſephus Wydzga*, Cancellarius Luceorienſis.
2. *Nicolaus Trembiński.*

3. *Josephus Włyński.*
4. *Caietanus Głogowski.*
5. *Martinus Rostkowski.*
6. *Nicolaus Jankowski.*
7. *Josephus Kochanowski.* Jllustrissimi hodierni Episcopi Kioviensis Prælatus Domesticus,
8. *Andreas Janozki*, Canonicus Scarbimiriensis, Præfectus Bibliothecæ Eius Publicæ Varsaviensis.
9. *Ludouicus Zbrozek.* Prælatus domesticus Jllustrissimi Præsulis.
10. *Swieykowski.*
11. *Benedictus Chmielewski.*

§. VI.

Capitulum Generale singulis annis semel peragitur, & quidem feria secunda infra octavam Ascensionis Christi. Particularia vero Capitula tam sæpe, quam necessitas requirit, convocari possunt. Gaudet denique iisdem titulis, prærogativis & Privilegiis, quibus alia Capitula Cathedralia fruuntur. Tempore Episcopi Ozgæ, accessit fundatio Cancellariatus & duorum Canonicorum, & Leo Rabczewski, Thesaurarius Novogrodensis Canonicatum quoque fundavit. Hodiernus Jllustrissimus Præsul, Josephus Andreas Comes Zaluscius, novum Archidiaconum Czerniechoviensem instituit, Suffraganeum sibi elegit, & duos Canonicos numero priori adiunxit.

§. VII.

Novus insignisque honor accessit huic Capitulo A. 1743. Decreto enim & gratia Benedicti XIV. Summi Pontificis, qui hancce Cathedram, inter fidei hostes sitam, ut exemplo bonorum operum, ad Catholicam Religionem eo facilius invitari possent, variis Privilegiis, Prærogativis, insigniis & indulgentiarum muneribus condecorare est dignatus. Omnes Prælati & Canonici, qui nunc sunt, & futuris temporibus, quovis numero erunt, non tantum Mozzettam cum suo caputio violacei, & cum ansulis & globulis rubri coloris, sed etiam Crucem auream octogonam, cum malto purpureo obscuro superinducto ac radiis aureis intermediis, in cuius recti Aquila cum alis expansis, & corona in capite, ac Sancti Josephi, in inversi vero medio eiusdem Sanctæ Sophiæ imagines existant, eamque annulo aureo appensam ac catenula aurea vel argentea seu amento violacei aut alterius coloris alligatam, de pectore pendentem, tam in dicta Ecclesia illiusque choro & Capitulo, in Missarum & horarum canonicarum Diurnarum & Nocturnarum, nec non Vesperarum aliorumque Divinorum Officiorum celebratione, quam extra dictam Ecclesiam in Processionibus

ionibus Funeralibus, aliisque quibusvis Functionibus & Actibus publicis & privatis ubique locorum, etiam in synodalibus Provincialibus & Generalibus Conciliis, ac etiam in praesentia Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Archiepiscoporum & Ordinarii etiam proprii, ac aliorum quorumcunque, quibusvis anni temporibus & diebus ferre & gestare possunt.

Si quis qvoqve ex Praelatis vel Canonicis huius Capituli ad munus Episcopale promoveretur, ille in signum, quod de Capitulo dictae Ecclesiae fuerit, ultra Crucem episcopalem, etiam modo Crucem in Mantoletta seu vestimento a parte lateris applicatam, etiam libere & licite habere potest Sicut haec omnia ex Brevi Apostolico, Anno 1743. XIII. Octobr: hunc in finem dato, quodque hic raritatis causa adiungimus, luculenter apparet. Breue hocce Venerabili Capitulo anno 1744. 26 Febr: fuit promulgatum, & 23. Martii eiusdem anni actis Consistorii Leopoliensis ingrossatum. Decima vero quinta anni sequentis actis Consistorii Generalis Kioviensis, & 8. Augusti anno 1746. actis Sacrae Nuntiaturae est inscriptum.

BREVE APOSTOLICVM

Ratione Mozzettarum & Insigniorum Crucis.

IN NOMINE DOMINI AMEN

Cunctis ubique sit notum, quod AN. a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, 1743. die vero 13. Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri, Domini Benedicti Papae XIV. Anno quarto. Ego Notarius infra scriptus, vidi, legi, quasdam Litteras Apostolicas sub plumbo more Romanae Curiae expeditas, tenoris sequentis videlicet. Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inscrutabili Divinae Sapientiae arcano, in Apostolicae dignitatis fastigio constituti, ad ea libenter intendimus, per quae Ecclesiarum decor, Divinique cultus augmentum, ubique locorum & praesertim in locis, in quibus Orthodoxae fidei hostes, exemplo bonorum operum ad Catholicam Religionem facilius invitari possunt, procuratur, & Personas in eisdem Ecclesiis Altissimo famulatum praestantes, Privilegiis, praerogativis, Insigniis, ac etiam indulgentiarum muneribus condecorare non desistimus, sperantes quod ex hoc ferventius Ecclesiasticae functiones exerceantur, & huiusmodi exemplo Acatholici, ad veram fidem evocentur, Prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Dilectorum filiorum modernorum, Decani Praepositi, Archidiaconi, Scholastici, Custodis, Cantoris & Cancellarii, nec non Canonicorum, Ecclesiae Kioviensis, pe-

titio continebat, quod alias tunc exiſtentes Capitulum & Canonici dictæ Eccleſiae Ritus Latini, tunc in Ruſſia Sanctae Sophiae dicatae exiſtentis, prout fama refert, indulto deferendi Mozzetam violacei coloris fruebantur, Subinde vero ex eo, quod Civitas Kiovienſis, dictorumque Capituli & Canonicorum Archivia a Tartaris & Coſacis depopulata fuerunt, dictaque Civitas, Czaro Moschovitico in temporalibus ſubiecta remanſit, ac bona ad Praebendas Capitulares ſpectantia, a Schiſmaticis occupata extiterunt, Eccleſia præfata cum dictis Capitulo & Canonicis ad Civitatem Zytomiriae in ditione Poloniæ, ubi ad præſens a dictis Decano, Præpoſito, Archidiacono, Scholaſtico, Cuſtode, Cantore & Cancellario, nec non ſeptem vel octo Canonicis de Nobili genere procreatis, ac Sex Vicariis, quæ a Venerabili Fratre Noſtro Moderno, ſeu tunc exiſtente Epiſcopo Kiovienſi fundatae fuerunt deſervitur, translata fuit, Cupientes autem dicti moderni, Decanus, Præpoſitus Archidiaconus, Scholaſticus, Cuſtos, Cantor & Cancellarius, nec non ſeptem vel octo Canonici præfati, in Eccleſiaſticis functionibus dicta Mozzetta, libere uti, quia præfati Jndulti Documentum, quatenus extiterit, ob præfatas depopulationes non reperitur, illam libere geſtare poſſe dubitant, & ſicut eadem petitio ſubiungebat Decano, Præpoſito, Archidiacono, Scholaſtico, Cuſtodi, Cantori & Cancellario, nec non Canonicis præfatis, eorumque in Decanatu Præpoſitura, Archidiaconatu, Scholaſteria, Cuſtodia, Cantoratu, & Cancellariatu, nec non ſeptem vel octo dictae Eccleſiæ Canonicatibus & Præbendis, ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus, ut ipſi eorumque ſucceſſores præfati infraſcriptam Mozzettam ac Crucem ut infra efformatam, ac etiam ut infra ab eis deferendam geſtare valerent, per nos benigne, etiam ut infra concederetur & indulgeretur ex conceſſione & Indulto præfatis, divinus Cultus in ea magis, magiſque in dies confoveretur, & Schiſmatici, aliique orthodoxæ Fidei hoſtes, ad Catholicam Religionem allicerentur, Divinique Servitii decor & Maieſtas maximum in dicta Eccleſia ſuſciperet incrementum. Quare pro parte dictorum Decani, Præpoſiti, Archidiaconi, Scholaſtici, Cuſtodis, Cantoris & Cancellarii nec non Canonicorum præfatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Divini Servitii decoris & maieſtatis huiuſmodi incremento, in eadem Eccleſia opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui quantum cum Domino poſſumus, iuſtis petentium votis libenter annuimus, ac Catholicae Religionis, Divinique cultus augmentum paternis & ſinceris deſideramus

affectibus,

affectibus, Decanum, Praepositum, Archidiaconum, Scholasticum, Custodem, Cantorem & Cancellarium, nec non Canonicos præfatos, specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis a iure vel homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Decano, Præposito, Archidiacono, Scholastico, Custodi, Cantori & Cancellario ac Canonicis præfatis, eorumque in Decanatu, Præpositura, Archidiaconatu, Scholasteria, Custodia, Cantoratu & Cancellariatu, nec non Septem vel octo Canonicatibus & præbendis præfatis Successoribus pro tempore existentibus, & quibusvis aliis personis, quæ in dicta Ecclesia, novas Dignitates, aut novos Canonicatus, & novas prædendas inibi deinceps forsan erigendàs, seu erigendos in posterum obtinebunt, ut ipsi de coetero perpetuis temporibus, dictam Mozzettam cum suo Caputio violacei, ac cum ansulis & globulis rubri respective coloris, & Crucem auream octogonam, cum mal to purpureo obscuro superinducto, ac radiis aureis intermediis in cuius recti Aquila cum Alis expansis & Corona in capite ac Sancti Iosephi; in inversi vero respective medio eiusdem, Sanctæ Sophiæ respective imagines existant, eamque annulo aureo appensam ac Catenula aurea vel argentea seu amento violacei seu alterius coloris alligatam, de pectore pendentem, tam in dicta Ecclesia, illiusque Choro & Capitulo, etiam in Missarum & Horarum Canonicarum Diurnarum & Nocturnarum nec non Vesperarum, aliorumque Divinorum officiorum celebratione, quam extra dictam Ecclesiam in Processionibus funeralibus, aliisque quibusvis functionibus & actibus publicis & privatis ubique locorum etiam in Synodalibus Provincialibus, & Generalibus, Conciliis, ac etiam in præsentia Sanctae Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Archiepiscoporum, & Ordinarii etiam proprii, ac aliorum quorumcunque quibusvis anni temporibus & diebus deferre & gestare, nec non cum præfata Cruce in Mortis Articulo constituti, benedictionem & plenariam omnium peccatorum suorum veniam & remissionem consequi, quodque si contingat aliquem ex dignitatibus & Canonicis pro tempore existentibus, dictæ Ecclesiæ, ad Episcopalem Dignitatem promoueri, ut Ipse in signum quod etiam de Capitulo dictæ Ecclesiæ fuerit, ultra Crucem Episcopalem etiam dictam Crucem ut supra efformatam in Mantoletta

ſeu Veſtimento a parte lateris applicatam etiam deferre & geſtare libere & licite reſpective poſſit & valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo concedimus & indulgemus, ac Decanum, Præpoſitum, Archidiaconum, Scholaſticum, Cuſtodem, Cantorem & Cancellarium, ac Canonicos, eorumque Succeſſores, aliaſque Perſonas præfatas deſuper a quoquam quavis authoritate, & quovis prætextu, colore vel ingenio, publice vel occulte, directe vel indirecte moleſtari inquietari vel perturbari, nullatenus unquam poſſe neque debere, ac easdem præſentes ex quocunque Capite quantumvis iuridico & legitimo de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio ſeu intentionis Noſtræ, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, unquam poſſe, ſed eas ſemper & perpetuo validas, firmas eſſe & efficaces fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, nec illas, ſub quibuſuis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, ac aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendendas, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe fore, Eisdemque Decano, Præpoſito, Archidiacono, Scholaſtico, Cuſtodi, Cantori & Cancellario, nec non Canonicis eorumque in Dignitatibus ac Canonicatibus & Præbendis præfatis Succeſſoribus pro tempore exiſtentibus aliiſque perſonis præfatis, etiam perpetuo ſuffragari, ſicque & non alias per quoſcunque iudices Ordinarios, vel Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Præfatæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice Legatos, & Sedis præfatæ Apoſtolicæ Nuntios, in quacunque inſtantia & quovis Iudicio iudicari & definiri debere, & ſi ſecus deſuper his, a quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus quibuſvis etiam in Synodalibus Provincialibus, Generalibusque Conciliis editis vel edendis ſpecialibus vel Generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit dictæ Eccleſiæ, etiam iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia, roboratis Statutis & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis & Literis Apoſtolicis, quibusvis perſonis in contrarium præmiſſorum forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, innovatis, quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis ſpecifica expreſſa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per Clauſulas Generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quælibet alia etiam exquiſita forma, ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum omnium & ſingulorum validiſſimum effectum latiſſime & pleniſſime

ac

ac specialiter & expresse nec non opportune & valide, hac vice duntaxat derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, Concessionis, Indulti, Decreti, ac Derogationis infringere vel ei ausu temerario contrarei. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1743. Sexto decimo Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri, anno quarto. Loco ✠ plumbi. Super quibus quidem literis Ego Notarius præfatus, præsens transumptum confeci & subscripsi, perinde valeat, ac si Originales essent litteræ. Actum Romæ ut supra. Præsentibus Dominis Odoardo Egidii, & Iosepho Vozzeri Testibus. Concordat cum suo originali I. B. Rignanti Officialis Deptt: X. Ludovicus. Locus Sigilli, Eminentissimi Cardinalis Aldrovandi Sanctissimi Domini Nostri Papæ Prodatarii. Ita est Nicolaus Mazzoneschi Notarius Apostolicus. Locus Sigilli. Leo erectus tenens flores cum litteris N. M. & inscriptione, *Intacta servat.* Locus Insigniorum Crucis pictæ. F. Iosimi. Inferius in eodem Originali leguntur hæc: Has gratias Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. concessas Venerabili Capitulo Nostro Kioviensi legimus, admisimus & promulgari tam venerabili Capitulo, quam in Diœcesi Nostra demandavimus, Datum in Lahodow, Anno 1744. die 26 Februarii, Samuel Ioannes Episcopus mp. Anno Domini 1744. Die Lunæ 23 Mensis Martii. Actis Consistorii Leopoliensis ingrossatum, Iosephus Nuszczynski, Notarius mp. Anno 1745. Die Lunæ 15 Februarii Actis Consistorii Generalis Kyoviensis ingrossatum, suscepi, Iacobus Antonius Korycinski Consistorii Generalis Kioviensis Notarius, Anno Domini 1746. sub die Lunæ 8. Augusti. Actis Sacræ Nuntiaturæ ingrossatum Stephanus Skwarczynski Cancellarius.

CAPUT VII

De Divisione Parochiarum Kioviensis Episcopatus.

§. I.

Antiquissimis temporibus Diœcesis Kioviensis fuit florentissima, teste enim Baronio, 400. numerabat Ecclesias. Nec mirum, si longitudo & latitudo huius Diœcesis, præcipue sicut pristinis erat temporibus, consideratur. Nunc vero tota cum Ducatu Kioviensi in Moscorum manibus est, præter duos tantum Palatinatus Kioviensis Districtus, Zytomiriensem nimirum, & Owrucensem

censem & hi modernam Dioecesin Kioviensem componunt.

§. II.

Ante centum circiter annos, tres erant in eis Decanatus. Primus Cudnoviensis, ad quem 14. Ecclesiæ parochiales spectabant, alter Codnensis, qui numerabat 16. Ecclesias Parochiales, tertius vero Wielednicensis, qui comprehendebat 10 Ecclesias Parochiales. Quia vero durante bello, multæ de his Ecclesiis fuerunt combustæ & destructæ, sequentes tantum adhuc nostra ætate Decanatus & Parochiæ numerantur.

CAPUT VIII.

De Decanatibus & Ecclesiis Parochialibus Episcopatus Kioviensis.

§. I.

Decanatus Zytomiriensis ad quem spectant 7. Ecclesiæ parochiales, quæ sunt:

1. Zytomiriensis, ubi nunc est Ecclesia Cathedràlis Kioviensis simulque Parochialis, quæ Parochia 55. annexa habet oppida & Villas.

2 Cudnoviensis, cui subsunt 47. oppida & pagi.

3. Lubariensis, ubi est Ecclesia Regularis P.P. Ordinis Prædicatorum, simul & Parochialis, adscripta ei sunt 37. oppida & pagi.

4. Berdyczoviensis, in oppido Berdyczow, nostro quidem tempore, nulla extat Ecclesia Parochialis, sed tantum visitur locus, cruce signatus, ubi antea Ecclesia fuerat. Patres vero Carmelitæ discalceati curam animarum habent. Ista Parochia numerat 23. oppida & Villas.

5. Bialopolensis, cui assignata sunt 44. oppida & Villæ

6. Korestoszoviensis, quæ sub cura sua habet 59. oppida & Villas.

7. Troianoviensis. Haec Ecclesia Parochialis ante 12. circiter annos est fundata, ab Illustrissimo Domino Nicodemo Woronicz, Castellano Kioviensi, Capitaneo, Ostreszoviensi, sed adhuc nullum certum numerum locorum habet præscriptum.

§. II.

De Decanatu Chwastoviensi, cui quinque Ecclesiæ Parochiales subsunt.

1. Chwastoviensis. Oppidum hocce cum Districtu suo ad mensam Episcopalem spectat. Ecclesia Parochialis a Ioanne Samuele Ożga, Episcopo, æterna memoria digno, fuit fundata, dotata, & ornata, ad quam iure Parochiali spectant 24 oppida & Villæ.

2. Bialo-

2. Białocerkievienſis. Hoc in oppido ac fortalitio in finibus Vkrainæ ſito, exſtat Ecclesia Patrum Societatis Jeſu, quibus cura animarum eſt iniuncta. Eccleſia iſta iure Parochiali ſubſe habet 1. Capitaneatum Białocerkievienſem cum ſuo tractu eidem Eccleſiæ viciniori. 2. Capitaneatum Bohuslavienſem, Czyrkaſienſem, Czehrinenſem, cum ſuis Tractibus eidem vicinioribus, multaque alia bona, circa fluvium Ros & Boryſthenem ſita, Andreas Chryſoſtomus Zaluſcius, poſt ſuum, in hunc Epiſcopatum, aſcenſum, Białocerkieviæ Cathedram volebat inſtituere, impetrato iam, a Rege gratioſſimo, conſenſu, quia Chwaſtovia cum attinentiis ſuis ad menſam epiſcopalem pertinentibus, huic loco & fortalitio opportune eſt vicina, ſed conatibus ſuis eventus non reſpondit. Bello enim contra Turcas ſuſcepto, bona iſta, creberrimis Tartarorum incurſionibus, non tantum miſere fuerunt deſolata, ſed maxima pars eorum a rebelli Coſaco, Paly dicto, violenti & armata manu fuit occupata. Paley

3. Byſzovienſis. In Oppido Byſzow eſt Eccleſia Regularis Patrum Ordinis Prædicatorum, ſimulque & Parochialis 37. attributa ſibi numerat loca.

4. Pawoloczenſis. Olim hocce in oppido exſtabat Eccleſia Parochialis, noſtra tamen aetate, tantum ibi viſitur ſacellum cum ſuo Sacerdote, qui curam animarum habet. Quatuor ei ſubſunt oppida cum Villis, quæ vero adhuc non propriis & diſtinctis nominibus ſunt expreſſa.

5. Chodorkovienſis. Patres ordinis Prædicatorum iſtam poſſident Eccleſiam, cui iure Parochiali 35. ſubſunt Loca.

§. III.

De Decanatu Owrucenſi, qui ſub ſe 8. habet Parochiales Eccleſias.

1. Owrucenſem. In oppido Owrucz, præter Collegium, quod Patres Societatis Jeſu habent, extat quoque Eccleſia Parochialis ſub regimine Patrum Ordinis Prædicatorum, cui Parochiali iure 54. ſubſunt oppida & Villæ.

2. Wielednicenſem ad quam ſpectant 78. loca.

3. Chabnenſem, quæ 32. habet oppida & villas ſub ſua poteſtate.

4. Oſtrohladowicenſem, cui 25. oppida & Villæ ſunt ſubiecta.

5. Czarnobylenſem. Eccleſia iſta eſt ſub regimine Patrum Ordinis Prædicatorum, & ei iure Parochiali ſubſunt 23. loca.

6. Jurowicenſem. In oppido extat Eccleſia Patrum Societa-

cietatis Jesu, qui præter missiones, quas sedulo exercent, iure Parochiali administrant Sacramenta in 8. villis circumiacentibus.

7. Olewscensem. Ecclesia Parochialis ista sub regimine Patrum Carmelitarum antiquæ observantiæ est, sed non distributam habet Parochiam, quia tempore exdivisionis Parochiarum non apparuerunt, obligantur vero quantocius eandem sibi procurare, ut noscant suas oves & vicissim ab iis noscantur, ne in alienam messem mittant falcem.

8. Babicensem. Oppidum hoc olim ad mensam Episcopalem spectans, ex proventibus mensæ Episcopalis habet erectam & fundatam Ecclesiam Parochialem, idque pro fundatione Præbendæ Canonicatus Cathedralis Kioviensis. Sed postquam prædicta bona Babice, cum suis attinentiis hodiernus hæres, (excepta tamen erectione & fundatione) coemisset, iusque Patronatus acquisivisset, hucusque præfata Ecclesia suo pastore orbata manet, & hanc ob causam non sibi assignatam habet Parochiam.

§. IV.

Ad hæc in loco, Zuczyn appellato, & qui in Decanatu Chwastoviensi est situs, est quoque Ecclesia, seu multo magis Sacellum, in quo Patres Societatis Jesu sacra peragunt. Notandum quoque est, multas super hæc inveniri villas, quæ nullam Ecclesiam habent determinatam, quam incolæ frequentare, & in qua Sacramentis muniri possint, & hoc ob magnam locorum distantiam, accessum item difficilem, propter loca invia, acquosa, paludosa, densisque sylvis consita.

CAPVT IX.
De Diœcesi Kioviensi.

§. I.

Kioviensis Diœcesis olim se extendebat per Palatinatum Kioviensem & Czerniechoviensem, ut & Severiæ Ducatum, nunc vero sicut, iam diximus, duos tantum continet districtus Zytomiriensem nimirum & Owrucensem. Versus occidentem habet Palatinatum Volhyniæ, a quo separatur per fluvium Slucz; versus meridiem Braclaviensem, versus septentrionem, Palatinatum Minscensem, versus orientem Palatinatum Czerniechowiensem & Russiam.

§. II.

Provincia ista antiquis iam temporibus erat Ducatus, & eius fines ad Mare usque Nigrum se extendebant. Anno 1471. sub Casimiro IV. in Palatinatum fuit conversa & hoc ob continuas

tinuas turbas & rebelliones. Cum enim Simon Olelkovicius, Kioviæ Dux, moreretur, filium & filiam, qui adhuc minoris erant ætatis, Regi Casimiro in tutelam commisit, eique in signum & tesseram amicitiæ, & huius tutelæ, equum & arcum, quibus in præliis uti consueverat, dono misit, ut eosdem contra Tartaros & quosvis hostes feliciter adhiberet.

§. III.

Quia vero Kiovienses tranquille haud vivere poterant, Rex, volens huic malo occurrere, Procerum Lithuaniæ *a* consilio, eo fuit adductus, ut istam Provinciam in certos divideret Districtus, & Martinum Gastoldum nobilissima in Lithuania familia ortum, Præfectum simulque Palatinum eis constitueret. Hanc ob causam Palatinus Kioviensis semper quoque Capitaneus vel Præfectus esse solet. *b.*

a. Tunc temporis Kiovia adhuc Lithuaniæ parebat, & anno demum 1569. Poloniæ iterum fuit iuncta.

b. Cromerus Libr: XXVII. fol. 400.

§. IV.

Episcopus Kioviensis Senator est, & post Episcopum Chelmensem in Senatu assignatum sibi habet locum. Per Commissionem Vladyacensem, Diœcesis Kioviensis libertatem accepit, vel Kioviæ, vel alio in loco commodo, erigendi Academiam, quæ iisdem iuribus & privilegiis, quibus Mater Academiarum Cracovia, gaudere deberet. Licitum ei quoque est, Collegia, Scholas publicas & Typographias erigere, librosque quosvis imprimere. Notatu quoque dignum est quod in hac Diœcesi & tota fere Provincia, Patres Dominicani a plebeiis, præsertim vero a Cosacis, non Dominicani sed *Jackami* appellantur. *a.*

a. Sanctus Hyacinthus fundator & propagator huius Ordinis in Polonia, in hac lingua appellatur Jacek, inde hoc nomen ortum & hæc appellatio usu quasi recepta, in hunc usque diem remansit.

§. V.

Præter Schismaticos & Judæos in hac Diœcesi adhuc alia invenitur secta, quæ a *Philippo* quodam nomen suum habet. Eius asseclæ, qui in magno sunt numero, Philipowcy vel Philippi asseclæ nominantur. Seculo XVI. & XVII. multi his in regionibus quoque erant Sociniani. Quia enim tunc temporis magnæ & multæ huius Regni familiæ hac labe erant infectæ: liberum & tutum in eorum bonis inveniebant locum. Vid. Lubieniecii Historiam Reformationis Polonicæ Libr: III. c. 16. p. 276. 277.

CAPUT X.

De Secta Philippoviana, vel de Philippi asseclis.

§. I.

Alexii Michalovicii, Russorum Monarchæ tempore, Monachus

chus quidam, nomine Nikon vel Niphon, homo quidem plebeius, sed astutus & magno ingenio praeditus, cavernam sibi exsculpserat in rupe quadam, haud procul a Monasterio ad lacum Kozie iezioro, id est, caprarum lacum, exstructo, sita, in qua per sex circiter annos habitavit, & vitae suae austeritate, magnum apud vicinos paraverat sibi nomen.

§. II.

Extractus inde a Monachis, dicti Monasterii Praepositus est factus, paulo post Archimandrita & deinde Metropolita Novgrodensis. Ascendit porro in Metropoliam Kruticensem, & tandem totius Russiae factus est Patriarcha.

§. III.

Videns igitur, fortunam sibi faventem, Russiae Monarcham eo adduxit, ut Pontificatum in Russia erigeret, & eum summum Pontificem nominaret. Quo vero audentiae suae speciem quandam daret, rem ita Monarchae exposuit. Jmperium Romae veteris translatum fuisse ad Romam novam, id est, Constantinopolim, & Sanctorum Ecclesiae Patrum iudicio, Patriarcham novae Romae eandem habere autoritatem & potestatem quam Romae veteris. Quia igitur, Jmperio Orientali adhuc sub Christianorum Principum potestate manente, Patriarcha Constantinopolitanus primus & universalis Totius mundi appellatus fuisset Patriarcha, nunc, post occupatum a Turcis Imperium, ibi ex iure summa haec dignitas & potestas esse debere, ubi Christianum Imperium esset translatum, hoc est Moscuae, id quod & Ieremias, Constantinopolitanus Patriarcha, divino spiritu afflatus, urbem hanc, iam suo tempore tertiam appellans Romam, praedixisset.

§. IV.

Hoc tamen suo ausu excidit, & quod Proverbium dicit, *Desine magna loqui, frangit Deus omne superbum*, & in eo fuit impletum. Volens enim suam autoritatem & in Russorum Monarcham extendere, & maior esse eo, non tantum ad hanc sibi imaginatam dignitatem non pervenit, sed & a Patriarchatu suo fuit amotus.

§. V.

Quia vero magnam apud populum acquisiverat autoritatem, eiusdemque favorem captaverat, timendumque esset, ne quaedam oriretur rebellio, in dignitatem Patriarchalem fuit restitutus.

§. VI.

Sub hoc igitur Nicone vel Niphone, Librorum Ecclesiasticorum correctio, vel multo magis ceremoniarum antiqua-

rum

rum abolitio in Russia est facta, quæ quoque postea duobus Conciliis fuit confirmata.

§. VII.

Clero ferme universo, hæc mutatio minime placebat, & cum multas Ecclesias in suas traxisset partes, præcipue vero celebre Monasterium Solovicense, cuius nomen in Russia sacrum est, magna rerum confusio est orta, adeo, ut sacerdotes publicè prædicarent, libros istos novos vel correctos in se continere hæreticorum errores,& Ceremonias antiquæ Ecclesiæ Græcæ hunc in finem tantum esse abrogatas, ut hi errores eo facilius introduci potuissent. Plebs credula, huic narrationi facile fidem attribuebat, & Schisma inter ipsos Schismaticos est ortum. Nam populus ab antiquis suis Ceremoniis, quæ per traditiones ad eos pervenerant, recedere minime volebat, sed eas pro fidei regula habebat.

§. VIII.

Antesignanus, vel Dux populi erat, Monachus quidam, nomine Philippus, ex Monasterio supradicto Solovicensi. Omnes igitur, qui a partibus eius stabant, Philippowce, vel Philippi asseclæ appellabantur, quod nomen in hunc usque diem eis remansit. Græci in tota Russia eos valdè sunt persecuti, adeo, ut tandem decreto publico omnes ex toto imperio exulari iuberentur, & si quis istius sectæ adhuc ibi reperiretur, hic, palo affixus, obstinationis & inobedientiæ pœnam luere esset coactus. Omnes igitur in Poloniam migrarunt, & in Ukrainia locum tutum invenerunt, ubi huius sectæ asseclæ ad nostra usque tempora magno inveniuntur numero.

Series Episcoporum Kioviensium primæ Fundationis.

I. ALEXIUS.

Bulgarus hic erat gente, & nobili genere natus, latinæ græcæ & Sclavonicæ linguæ apprime gnarus, precibus Jaroslai, Kioviæ Ducis, a Benedicto VIII. summo Pontifice anno 1021. Roma Kioviam missus, novum ibi fundaturus Episcopatum. Vir erat singulari pietate & rara dexteritate, ideoque & Principi & populo carus, *a* Hic in Ecclesia Cathedrali, a Duce Jaroslao recens exstructa, & divæ Sophiæ dicata, primus cum Clero suo, sacra peregit. Cum vero paulo post, triste illud Schisma, a Cerulario, Constantinopolitano Patriarcha, inceptum, Kioviam usque penetrasset, pius iste Præsul, ob inimicorum invidiam, quam sæpe iam fuerat expertus, constitutis nonnullis de Clero suo, qui sacra curarent, Kioviam reliquit,

quit, & in Patriam ſuam rediit, ibique pia morte obiit. *b.* Quam diu igitur poſt eius diſceſſum, Cathedra Kiovienſis præſule ſuo orbata fuerit, certe dici haud poteſt, quia nulla de hoc proſtant documenta, neque ullus ſcriptorum Polonorum aliquam de hoc facit mentionem.

a. Orlovius in vindiciis Epiſcopatus Kiovienſis pag. 78.
b. Nicanor & Caſſianus, autores Ruſſici, præſertim in libro de initiis Religionis Chriſtianæ in Ruſſia; pag. 46.

II. GERHARDUS, Inſtituti S. Dominici.

Hic ex Prædicatorum ordine, in quo Provincialis munere functus, a Gregorio IX. ſummo Pontifice, Principis Ruſſiæ rogatu, ut Cathedræ Kiovienſi præeſſet, fuit delegatus. *a.*

Nam quia circa hoc tempus, Cyrillo, Metropolitæ Ruſſiæ, viro pio æque ac docto, multa a Schiſmaticis eſſent ſufferenda, Ruſſi miſerunt Romam legatos, qui ab Honorio III. inſtructionem peterent. Hoc vero morte inopinata ſubrepto, ſucceſſor eius, Gregorius IX. ad Principes Ruſſiæ anno 1231. reſcripſit, eosque admonuit, ut conſtanter in fide manerent, promiſitque Catholicis, his in Regionibus degentibus, Epiſcopum. Cum anno 1233. Schiſma maiores iam faceret progreſſus, & Ruſſi, Polonos, qui Ritum, Latinum obſervabant ad Ritum Græcum cogere vellent, Gregorius IX hac de re certior factus, prohibuit, quo minus Catholicorum filiæ Græcis matrimonio iungerentur, & paulo poſt ſupradictum Gerhardum Epiſcopum miſit. *b.*

Quo anno in Poloniam venerit, incertum eſt. Raynaldus ex Epiſtola Papæ Gregor: IX. demonſtrare ſtudet, eum iam anno 1232. ad munus epiſcopale in Ruſſia obeundum fuiſſe deſignatum, Bzovius vero, loco citato expreſſe dicit, eum demum anno 1234. a Gregorio IX. Epiſcopum fuiſſe conſecratum. Nos iam ſupra demonſtravimus, eum ante annum 1241. Kioviam non veniſſe.

Sub eo Tartari Kioviam vaſtantes, multos Ruſſiæ Principes interfecerunt, ſub eo quoque Metropolita Cyrillus III. natione Ruſſus, ab Innocentio IV. ſummo Pontifice libertatem celebrandi Liturgiam in lingua Sclavonica, pro Ruſſia obtinuit. *c.*

Ob turbas inteſtinas & Tartarorum invaſiones, in Cathedra antiqua Sanctæ Sophiæ non continue ſedit, ſed tantum ab initio ibi eſt moratus, poſtea vero ad Dominicanos ſe contulit, multùmque pro religione Chriſtiana laboravit.

Anno 1253. præſens erat Cracoviæ, cum oſſa Sancti Staniſlai poſt canonizationem conſervarentur.

Quam

a. Bzovius in annal: n. 12. Raynaldus Tom: XIII. n. 43. Spond. n, 7.
b. Nakielſki in Michovia
c. Okolſki in Ruſſia Florida p. 118.

Quam diu vero ſedi præfuerit, & quo anno mortuus ſit, non conſtat, nihil certi affirmare quoque poſſumus, an alius Epiſcopus in eius locum ſucceſſerit, vel ſi ſedes propter chiſmaticorum perſecutionem, Præſule ſuo orbata fuerit, nam ad Henricum usque nec minimum, hac de re invenitur veſtigium.

III. HENRICUS. Inſtituti Sancti Dominici.

Iſte quoque ex Prædicatorum ordine ad Epiſcopalem dignitatem fuit evectus, & anno 1321. Kiovienſi Cathedræ præfuit. *a.* Ardor enim & labor in procuranda Kiovienſium ſalute, Divi Hyacinthi, ex Ruſſiæ Ducum memoria adhuc non exciderat, quin imo Gerhardi ſtudio & labore magis magisque fuerat auctus. Idcirco Kiovienſes Catholici, qui ſatis magno ibi erant numero, communicato cum Duce ſuo conſilio, & iſte cum Metropolita Petro Ruſſo, qui ſub perſecutione Andronici Orientalis Imperatoris erat electus, a Stephano Lubuſſano *b.* Præſule, Epiſcopum pro Kiovia de ordine Prædicatorum petierunt. Hic igitur Henricum ex dicto ordine, S.S. Theologiæ & Philoſophiæ Lectorem, ad hoc munus deſignavit. Nominatum, Pater Purpuratus Jacobus Columna, Pontifici maximo Joanni XXII. cum deſiderio & petitione Ruſſorum detulit. Quia vero variis obſtaculis Catholicorum Kiovienſium deſiderium protrahebatur, Henricus nominatus iam Epiſcopus Kiovienſis, Avenionem eſt profectus, & ibi a ſummo Pontifice Joanne XXII. confirmatus, a Berengario vero, Portuenſi Epiſcopo XVIII. Cal: Januarii fuit conſecratus. *c.*

a. Nakielſcius in Michovia p. 247. Okolſcius in Ruſſia florida pag. 57. item in ordine & numero Chioviensium & Czernechoviensium Epiſcoporum p. 3. Bzovius in annalib. Tom. XIV. n. 12. fol. 562. Orlowſki in Vindiciis p. 81.

b. Nemo mirari debet, cur Ruſſiæ Duces ad Lubuſſanum vel Lubuſcenſem Epiſcopum hac in re confugerint. Lubuſcenſis enim Epiſcopatus, a Miecislao Poloniæ Principe, cum aliis erectus, tunc temporis adhuc ad Poloniam ſpectabat, Cromerus Lib. VIII. La Metropolitaine de Leopol p. 23. 25. Stephanus præcipue, qui tunc temporis Cathedræ præerat, ob eruditionis ſuæ laudem, pietatisque famam, non tantum apud ſuos erat celebris, ſed apud ſummum quoque Pontificem, Joannem XXII. magna erat in gratia, multumque valebat autoritate. Hanc ob cauſam a ſede *Romana* ei quoque erat iniunctum, ut Eccleſiarum promotionem in locis, recens Catholica Romana fide illuſtratis, curam haberet. Hic quoque Eccleſiæ B. V. Mariæ fratrum Sancti Franciſci, quae Cameneciæ in Podolia florebat, indulgentias conceſſerat, quas poſtea Nankierus, Cracovienſium Antiſtes, in cuius Diœceſi Camenecia, ante Epiſcopatus erectionem, fuerat, 5. Kal: Jul. 1320. cum hac in urbe præſens eſſet, confirmavit. Scrobiſſovius in Vitis Archiepiſcoporum Halicienſium & Leopolienſium p. 21. Stephani ſucceſſores ſibi eandem autoritatem arrogabant, & eodem iure, quo Stephanus Joannis XXII. benignitate erat donatus, non tamen ſemper eodem ſucceſſu in Ruſſia uti volebant, ſicut ex Reſcripto Gregorii *XI.* anno 1373. Vicario, Ordinis fratrum Minorum dato, & ex alio, ab eodem Pontifice, ad Neophitas fideles XII. Kal. Aug. Anno 1370. miſſo luculenter apparet. Nihilominus Joannes, Epiſcopus Lubuſſenus, aliquando veniebat Leopolim. ibi quoque anno 1387. 3. Calend Octobr: fraternitatem B. V. Mariæ fundavit, quæ Societas, ad noſtra usque tempora, ibi floret, & cum Bernhardus Archiepiſcopus Leopolienſis, cum Civibus magnas haberet contentiones, hi Epiſcopi Lubuſſeni conſilium & aſſiſtentiam implorabant, qui quoque, vigore Privilegii, a Sancta ſede Romana Stephano olim conceſſi, ibi veniens litem compoſuit.

c. Nakielſcius in Michovia pag. 247.

Autores conveniunt, eum 29. annos Cathedræ præfuiſſe & anno 1350. obiiſſe. Naramovius eum ſilentio præteriit in *Facie rerum Sarmaticarum*, & in eius locum Petrum Viſſum, de

quo iam ſupra diximus, primum conſtituit Epiſcopum, quod tamen minime eſſe potuit, quia prædictus Viſſus centum fere annis poſt Henricum vixit, & ſi Epiſcopus Kievienſis fuiſſet, nec Starovolſcius, qui eius vitam tam ample deſcripſit, nec Dlugoſſus, qui tam multa & ſingularia de eo habet, & eodem fere vixit tempore, hæc tacuiſſent. Circa hæc tempora, Olgerdus, Gedimini filius, anno nimirum 1328. conſortem a Duce Tuerenſi, Ritus Græci, Vilnam introduxit, quæ fidei Chriſtianæ initia ibi inchoavit. Venerant quidem iam ante hoc tempus anno ſcilicet 1324. Legati Apoſtolici ad Gediminum, Lithuaniæ Ducem, qui eum eo adducere vellent, ut Chriſtianorum ſacra amplecteretur, ſed ille abnuit. Conatus tamen tam ſalutaris non totus fuit inanis, anno enim 1325. Vladislaus Lockicus a Gedimino filiam pro Principe Caſimiro, in vitæ ſociam obtinuit, quam Nankierus Cracovienſium Antiſtes, ſacro fonte abluit, & loco Adelheidæ ei nomen Annæ indidit, pro dote vero multa millia captivorum ex Lithuania in Poloniam liberos reduxit. *d.*

d. Okolſcius in Ordine & numero Epiſcoporum Chiovienſium pag. 8.

IV. JACOBUS.

Ordinis Prædicatorum.

Si conjecturæ locus ſit dandus, Jacobus noſter Henricum ſine dubio excepit. Certa enim documenta proſtant eum anno 1377. Cathedræ huic præfuiſſe. *a.* Quo tempore vero ad Epiſcopatum pervenerit, incertum eſt, hoc tamen probari poteſt, eum tempore Caſimiri Magni & Ludovici vixiſſe. Alexius, gente Ruthenus, Metropolita Kiovienſis, ſub eo Eccleſiæ unionem anxie deſideravit, & hac de re cum Jacobo noſtro, crebra habuit conſilia *b.* Jmperatoris vero Conſtantinopolitani crudelitas, & Patriarchæ inconſtantia, magno huic pio propoſito, erant obſtaculo, & ut ſalutare hoc inceptum impediretur, Alexio adhuc vivente, alium Metropolitam, Cyprianum nomine, gente vero Græcum, Kioviam miſerunt, ſed quia & iſte Spiritu Sancto illuminatus, unionem promovebat, Ruſſi eo non admodùm contenti, a Patriarcha alium deſiderabant. Hic igitur invidia & dolore animatus, Dyoniſium, natione Græcum, in Cypriani locum miſit. Interea *Piminus* Monachus, gente Moſcus, iſtam Dignitatem a Cantacuzeno magna pecunia ſibi acquiſiverat. Turbæ igitur ortæ

ſunt

a. Hoc patet ex indulgentiis XL. dierum, ab illo Eccleſiæ Coporis Chriſti, quæ Leopoli eſt, conceſſis, quas poſtea Jacobus, Halicienſis Archiepiſcopus, XIV. Novembris Anno 1394. approbavit & confirmavit. Originale profert Scrobiſſevius l. c. p. 53.

b. Alexius pius ſanctusque erat vir, qui nihil magis deſiderabat, quam Eccleſiæ unionem. Corpus eius adhuc incorruptum monſtratur Moſcuæ in Monaſterio Cudovienſi dicto, Ruſſi eum pro Sancto habentes, feſtum eius 12. Febr. celebrant.

ſunt magnæ, magnaque rerum confuſio, quæ eo uſque proceſſit, ut Ruſſiæ Duces hodie unum recipiebant, cras iterum reiiciebant. Res igitur fidei demum in tantam abominationem deciderat, ut uno eodemque tempore varii Metropolitæ Kiovienſes ſimul exiſterent. Ruſſiæ & Lithuaniæ Principes, Kiovienſium precibus & lamentationibus moti, huic demum malo occurrere neceſſe ducebant. Dyonifius igitur, natione Græcus qui publice Schiſma diſſeminabat, a Volodimiro Olgierdovicio, captus, carcerique incluſus, mortem ibi expectavit. Piminus, gente Moſcus, fuit relegatus, Alexius vero Ruſſus retentus.

Vitoldus, Magnus Lithuaniæ Dux, convocata hunc in finem ſynodo, requirebat, ut Litteræ ad Conſtantinopolitanum Patriarcham ſcriberentur, quibus illi ſerio exponeretur, quia viros tam ſceleratos in Metropoliam Kiovienſem mitteret, e re duxiſſent, probatos & religioſos viros in Metropolitas ſibi eligere.

Non obſtantibus his turbis, Kiovienſis Cathedra per primos ſuos Epiſcopos, in re fidei & amplificatione Eccleſiæ magnos fecit progreſſus, tum, quia principia fervebant, tam in Chriſtianis quam in prænominatis Epiſcopis, tum, quod ea, quæ a Spiritu Sancto moderantur, & reguntur, alta molimina ſumere conſueverunt. Erecta igitur Cathedra Kiovienſis, cura animarum diligenter fuit conſignata, verbum Dei ſeminatum, progreſſus fecit, & fervor Chriſtianorum fuit dilatatus.

Quod vero ad ſecuritatem ſpectabat, & ad ſubſidia, hæc in primordiis ſatis fuerunt tenuia, quia Epiſcopi ad Duces Patronos ſubſidii gratia, diſcurrere & mori quoque extra Cathedram coacti erant. Sed iſtud magnam conſolationis ſpiritualis vim obtinuerat, quod pro Chriſto atque eius Eccleſia, pati contumelias, ludibria ſuſtinere, dolores, pericula & exitia ſufferre, pro deliciis reputarent, quin imo & ipſam denique vitam pro ſua ſponſa fundere non denegarent. Sic facit omnis, qui in Chriſto vivit, quod mori cum illo & pro illo non recuſet. Poſt varias, quas magna cum patientia, in tam triſti & turbulento rerum ſtatu, perpeſſus eſt, turbas, Anno 1377. diem obiit ſupremum, & Leopoli, in Eccleſia Corporis Chriſti ordinis ſui ſepultus, ubi talis ſuper lapidem legitur inſcriptio: Jacobus Kiovienſis Epiſcopus obiit anno 1377. *a.* Naramovius hunc quoque omiſit, quia Autores, quos citavimus, & qui de eo mentionem fecerunt, vel non vidit, vel non cognovit.

Eo hanc ſedem occupante, Turcæ primum & quidem 1376. Hel-

 leſpon-

a. Fridrichovicius in Sancto Hyacintho fol. 226. Scrobiſſovius l. c. Okolſcius in Ruſſia florida p. 58. & in Numero & Ordine Chiovienſium & Czerniechovienſium Epiſcoporum, p. 6.

lespontum transierunt, & Bulgariam, Serbiam, Albaniam depopulati sunt, ac sedem Amurathes Adrianopoli constituit. Ludovicus vero, Poloniæ & Hungariæ Rex, Chelmam, Grabowveciam, Horodliam & Belzium a Russis, qui has Provincias paulo antea vastaverant, recepit; a Georgio vero, Belzensi Duce, petente Keistuto, Homagium atque fidelitatis iuramentum suscepit & ratum habuit. *a*.

a. Dlugossus ad hunc annum. Bielscius in Chronica Polona 281. Strycovius in magna sua Chronica fol. 457. 458.

V. PHILIPPUS.
Ordinis Sancti Dominici.

Jacobo e vivis sublato, successit Philippus, Ordinis Sancti Dominici socius, quo anno vero munus suum sit adgressus incertum est. *a*.

Naramovius eum quidem habet in facie Rerum Sarmaticarum, sed post Andream, qui anno 1434. mortuus est, locum ei attribuit, quod tamen contra omnem est veritatem.

Orlovius vult eum iam 1380. Cathedram Kioviensem ascendisse, hoc quoque dubium est *b*. Eum vero Anno 1387. illam iam occupasse, extra omnis dubii aleam est positum. Hoc enim anno, subscripsit Epistolam, quam Rex Vladislaus de libertate Ecclesiarum in Lithuania publicavit. *c*.

Adhuc tamen extra numerum Episcoporum Kioviensium, a Poloniæ Regibus nominatorum, ponitur, quia non Regum Poloniæ nominatione ad hanc dignitatem erat evectus.

Quam diu ille Cathedræ præfuerit, & quo Anno vita sit defunctus, difficile est dictu, quia nulla certa prostant documenta.

Okolscius putat, eum usque ad annum 1407. vixisse. *d*. quod tamen falsum, quia eius successor, Michaël, anno 1404. eius locum iam occupaverat. *e*.

Eius tempore, Opoliensis Dux, a Ludovico, Poloniæ & Hungariæ Rege, Russiæ quoque Dux fuit constitutus. Cui postea gubernationem Regni Poloniæ cum plena autoritate committit. Sed nobilitas obstitit. Quocirca Episcopo Cracoviensi, Zavissæ de Kurozwęki, Castellano Cracoviensi, Dąbkoni, & Sendivogio, Palatino Cracoviensi Regni administratio fuit iniuncta. Sed cum Ludovicus magis Ungaris quam Polonis

a. Bzovius in Propagine S. Hyacinthi c. 6. fol. 56. ex antiquo Manuscr: Conventus Cracoviensis.
b. In Defensa p. 81.
c. Okolscius in Russia florida p. 58. Fridrichovicius in Sancto Hyacintho p. 286, Strycovius in Chronica fol. 480.
d. In ordine & numero Chioviensium Episcoporum, p. 8.
e. Nakielscius in Michovia p. 320.

Polonis faveret, primis, recepta Russia a Duce Opoliensi, bona huius Provinciæ divisit, qui, post Ludovici decessum, Castra Krzemieniec, Olesko, Horodlo, Lopacin, Snyatyn, Duci Lubarto, Luceoriam tenenti, vendiderunt. Iagello cum adhuc M. D. esset Lithuaniæ, Regnum Poloniæ vastavit, versus Visliciam, & Sanctæ Crucis lignum a Calvo monte abduxerat. Sed quemadmodum Russus Kieistutum & Olgierdum admonuerat de periculo ex dehonestata Cruce, propter quod per nobilem, Karabola dictum, remissa in locum fuerat, ita Virgo inviolata Dominum tunc suum Dovoina nuncupatum, monuit, quod ideo, qui tetigerit currum eius repente moritur, quia hic est lignum Sanctæ Crucis ablatum e Regno. Tradidit igitur illud Virgini in locum suum referendum, at illa fidelitatem ipsius cognoscens, cum esset nobilis, & unica hæres secum invitavit in Regnum: qui veniens ob crucem allatam & matrimonium cum virgine initum, obtinuit arma Habdank cum cruce, quæ vocantur Dębno. *a.*

Annus 1386. Philippum nostrum summo adfecit gaudio, quia 12. Febr. dicti modo anni, Jagiello, Rex Poloniæ cum quibusdam fratribus suis in die Sancti Valentini sacrum baptisma suscepit, alii tamen Duces ritum Græcum tenebant. Et quia Jagiello in baptismate nomen Vladislai accepit, quod maiores nostri, quasi, qui gloria potens esset futurus, ominis loco indiderunt, ideo in Lithuania & Samogitia studium summum in propaganda religione Catholica exercuit. Russia ei quoque parebat, sed post acceptam coronam, Skirgiellonem fratrem 1392. magnum Lithuaniæ & Russiæ Ducem nominavit. *b.* Vitoldus hoc passu offensus, Regi bellum intulit, pace vero brevi post secuta, Vitoldus, Lithuaniæ Magnus Dux est creatus, & Skirgielloni Kiovia, fuit decreta. Tunc temporis Vlodimirus Olgierdovicius, Ducum Slucensium progenitor, hanc Provinciam tenebat, & hoc nomine Privilegium libertatis Ecclesiarum in M. L. D. a Vladislao Iagellone anno 1387. datum, subscripserat. Quia Regi erat fidelis & auxilia contra hostes suos præstiterat, non poterat sine causa, vel data occasione, expelli, Vitoldus eam facile invenit. Vlodimirus Regis gratiæ nimis fidens, Vitoldo tributum solvere, & eum supremum suum Dominum agnoscere, recusabat. Hic igitur, cum Skiergiellone eum bello adgreditur, & Vlodimirus, qui se defendere parabat, Regis hortatu, eo fuit adductus, ut bello abstineret, Kioviam Skiergielloni cederet, a Rege vero remunerationis loco, Kopylam cum Districtu 30. Milliarium in longitudinem & latitudinem accepit, ubi Slucium ædificavit, a quo posteri eius Duces Slu-

 censes

a. Stricovius libr. XIII. cap. 2. Koialovicius in Historia Lith. Libr. IX. Part. I.
b. Stricovius fol. 474.-478. Bielscius in Chronico f. 272. Dlugossus ad annum 1384.

censes sunt appellati. Cum Vladislaus Rex Grodnam 1390. occuparet, Regina Anna interea Jaroslaviam, Præmisliam, Grodecum, Haliciam, Leopolim, Tręboviam, Zidaczoviam ab Ungaris bello recuperavit. *a.*

Quod ad spiritualia, status Ecclesiæ erat tristis, quia Metropolim Kioviensem pessimus administrabat homo Photius, qui thesauris inhiabat, & bona Ecclesiæ dissipabat. *b.*

a. Strycovius l. c. Koialovicius libr. I. p. II.
b. Niesiecius T. I. p. 90. Okolscius in ordine & numero Kioviensium Episcoporum p. 8.

VI. MICHAEL I.
Ordinis Sancti Dominici.

Post Philippi obitum, Michaël, vir magnæ pietatis, magnarumque dotum, in eius locum fuit constitutus. Multi Autores eum primum Kioviensium nominant Episcopum, & huius Episcopatus fundationem Vladislao Iagelloni attribuunt. *a.* Quia vero probari potest, Michaelem nostrum iam anno 1404. huic Cathedræ præfuisse. *b.* Episcopatus fundatio minime Vladislao est adscribenda. Nam licet iste pius Rex post victoriam, prope Grunewaldam anno 1410. de Equitibus Teutonicis reportatam, huncce Episcopatum, cuius proventus, ob Schismaticorum turbas & potentiam, valde erant tenues & diminuti, anno 1412. in meliorem ordinem redigeret, amplificaret, novis & firmis proventibus ditaret, non tamen fundator, sed potius restaurator & amplificator est nominandus & considerandus.

Et si vera dicere licet, Michaël noster tanquam pius ac religiosus vir, ipse regi autor suasorque, fuit, ut tale pietatis opus susciperet, cum enim pugnæ ad Grunewaldam præsens esset, Regi iniuriam, quam a Schismaticis sufferre erat coactus, anxie & multis verbis exposuit, Principemque hunc eo adduxit, ut rem tam piam æque ac arduam anno 1412. feliciter adgrederetur. *c.* Eo tempore, Kioviensis Episcopatus non tantum Archiepiscopatui Haliciensi fuit adscriptus. *d.* sed & eius antistites omnibus iuribus, privilegiis, quibus cœteri Poloniæ Episcopi gaudent, donati, & ad negotia & Officia publica admissi, non interrupta serie, Regum Poloniæ nominatione floruerunt.

Hoc ex iure Michaël noster quoque Comitiis Horodlensibus, in quibus Magni Lithuaniæ Ducatus unio fuit confirmata, & Nobili-

a. Cromerus Libr. XX p. 208. Russelius in triumpho, Godimirius & alii.
b. Nakielscius in Michovia p. 320. ubi sic scribit: Constat ex Manuscripto vetusto codice Conventuali, Chodoviensem Ecclesiam primitus fuisse consecratam per quendam Michaelem, de Ordine Prædicatorum, Episcopum Kioviensem, feria quarta, ipso die Visitationis Beat: Virg. Mariæ, anno Domini 1404. in honorem Omnipotentis Dei, Sanctorum Ioannis Baptistæ & Evangelistæ, atque Margarethæ Virginis & Martyris.
c. Okolscius in ordine & numero Chioviensium Episcoporum p. 9. – 10. Orlovius in Vindiciis p. 87.
d. Scrobissovius in vitis Archiepiscoporum Haliciensium & Leopoliensium p. 19.

Nobilitas ad arma Regni, omnia Privilegia, cæterasque immunitates admissa; non tantum aderat, sed & Acta publica manu & sigillo suo signavit, subscripsit & confirmavit. *a*.

De anno eius mortis nihil certe affirmare possumus. Orlovius & Niesiecius. *b*. putant, eum adhuc anno 1422. in vivis fuisse, sed errant, & per Nakielscium ad talem errorem sunt perducti, qui de hoc & altero Michaële valde confuse & obscure agit. Hoc enim anno Michaël II. iam sedem occupaverat, sicut inferius late patebit, nec noster Michaël quoque is fuit, qui uti Niesiecius, loco citato, dicit, Scultetiam in villa Gębartowa Wola, Cœnobio Zarnovecensi adscripsit, sed secundus. Nos maiori iure supponimus, eum circa annum 1415. morte obiisse, & hoc in eius successore clarius elucebit. *c*

Eius tempore, Vitoldus Dux erat Kioviensis, sed amore erga Ju num vel Joannem Olgimuntovicium, Ducem Holsanensem ductus, eum Kioviensium constituit Ducem. *d*. Hic cum filiis suis, Andrea & Simeone, pacem æternam inter Lithuaniam & Regnum Poloniæ 1401. factam, subscripsit. *e*. In Synodo anno 1415. a Russiæ Episcopis Novogrodec. in Lithuania habita, Russiæ Motropolita, Phocius, qui thesauros Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ, abstulerat, ante Vitoldum fuit accusatus, & iure convictus, hoc Principe præsente, tanquam indignus muneris sui Curator, dignitate sua fuit depositus. & Gregorius Cemivlacus, natione Bulgarus, omnium consensu in eius locum constitutus. Hunc Vitoldus postea misit Romam, & ad Concilium Constantiense, qui unionem cum Ecclesia Romana curaret. *f*. Qua de re & ipse iam antea ad Patres Concilii Constantiensis scripserat. Erat vir apprime doctus, & ab omnibus adamatus, variæ eius Conciones ad nostra usque tempora prostant & diligenter leguntur. *g*.

a. Lasci *Statutum* fol: 127; Herburtus in *Statutis* p: 296. Volum Leg: T. I. f. 70: *Striycovius* in Chronico f. 542. & 543. Okolscius in Russia Florida p: 58

b. Orlovius in Vindiciis p. 83: Niesiecius T. I: p, 68:

c. Nakielscius in Michovia p: 400; it: 464.

d. Cromerus libr: 15: Koialovicius libr: I. p: 2. Striykovius p. 499.

e. *Lascius* in Statuto f. 128:

f. Chronica *Russica*; Okolscius in Ordine & numero Chioviensium Episcoporum p, 9:

g. Niesiecius Tom: I. p: 90:

VII. ANDREAS.

Ordinis Prædicatorum.

Andreas Cracovia oriundus, plebeius quidem erat homo, sed doctissimus & integerrimus. *a*. Primus hic fuit Episcopus a Poloniæ Rege, & quidem Jagellone nominatus. Hanc

a. Vargocius ex libris beneficiorum Cracoviensium.

ob causam nonnulli autores, eum primum Kioviensium appellant Episcopum, sicut Naramovius, *a.* et alii, sed satis mirari non possumus, cur Nakielscius, qui de aliis Episcopis iam est locutus, hunc tamen quoque primum nominet Episcopum. Sic enim ibi dicit. *b.* Eadem tempestate per eundem Vladislaum, Regem Poloniæ constat, fundatam & ordinatam fuisse Cathedram Episcopalem in Civitate Kioviensi, Metropoli Russiæ primumque ibidem autoritate Apostolica institutum fuisse, Andream Cracoviensem, virum doctrina & virtute insignem, cuius opera Civitas illa, hactenus schismate divulsa, ad gremium Ecclesiæ Catholicæ rediit. Hic antistes dicitur obtinuisse a Juano, Kioviensium tunc temporis Principe, ingentem portionem crucis in qua Redemptor mundi salutem humani generis operari est dignatus, quam Lublinum delatam, fratribus Dominicanis, ad sedem Stanislai non absque evidenti miraculo reliquit.

Inciderat vita eius, quo ad spiritualia, in bene dispofita tempora. Nam Gregorius Metropolita, de quo iam sumus locuti, unionem fortiter coluit; sed quo ad sæcularia, vita eius in pessima incidit tempora, nam ob continuos belli strepitus, quos Russiæ Principes inter se habebant, sæpe exulare erat coactus. Rediit tamen in Episcopatum suum. Sub eo, anno 1416. Cathedra Kioviensis per Tartaros spoliata, una cum Civitate fuit exusta. Quo se verteret, cum nesciret, Lublinum adiit, & ad fratres suos Prædicatores se contulit, ibique salutiferum lignum Crucis, in qua Christus passus fuit, quod a Russiæ Principe Juano vel Joanne dono acceperat deposuit. Nihil enim, quam hoc pretiosissimum monile, Kiovia attulerat. Paulo post, morte ibi præventus, sepulturam accepit in Ecclesia fratrum Sancti Stanislai & Thesaurus ille Sanctus apud fratres istos remansit. *c.* Epitaphium ibi ad maius altare, multis fuit sæculis, sed diuturnitate aboletum. *d.* Et hoc fuit causæ, cur de anno eius mortis, nihil certi dici possit. Errant, qui perhibent, eum anno 1434. obiisse. *e.* Quia Michaël II. eius successor, iam anno 1422. sedem hanc occupaverat. Nos meliori iure putamus, eum circa annum 1420. e vivis iam fuisse ablatum.

VIII.

a. In facie rerum Sarmaticarum
b. p. 400.
c. Russelius Libr. III. de Sancta Cruce f. 6.
d. Okolscius, in Numero & Ordine Chioviensi: Episcoporum.
e. Orlovius in Vindiciis p. 86. Niesiecius T. I. p. 62.

VIII. MICHAEL II.
Ordinis Sancti Dominici.

Post Andream designatione Regia, in eius locum suffectus est, Michaël. II. Vir, senio, canitie, ac singulari vitæ integritate venerandus, singularis Ordinis Canonicorum S. Sepulchri amator & benefactor. Js enim omnem paternam sortem, quæ sibi ex successione debebatur, in rem Cœnobii Zarnovecensis, cuius cura ad ad Sacerdotes Michovienses pertinet, pie ac liberaliter contulit. Hic Ecclesiam Cathedralem Kioviensem, sub antecessore suo Andrea per Tartaros circa annum Christi 1416. spoliatam, & una cum Civitate exustam, non mediocri sumptu restauravit, sacraque supellectile deinceps instruxit. Ab eo tempore omnis pulchritudo, splendor & ornatus Civitatis prædictæ contabuit, Civitas ipsa propter direptionem & incendium, quod pertulerat, deserta fuit, fulgorem priscum resumere non valuit *a.*

Eum iam Cathedræ Kioviensi anno 1422. præfuisse ex authentico patet instrumento; Anno enim dicto, Scultetiam in Villa Gębartowa Wola, prope Zarnovecium sitam, cum duobus liberis laneis, iure hæreditario ad se pertinentibus, de expresso consensu & approbatione Regis Vladislai Jagellonis, Cœnobio vel Hospitali S. Spiritus, in Oppido Zarnowiec sito, tradidit & resignavit. *b.*

Anno postea 1426. idem iste pius Præsul, fraternitatem literatorum ad Ecclesiam Sanctæ Crucis Zarnovecii, fundavit, quam Zbigneus Magnus ille Cracoviensium Pontifex, & S. R. E. Cardinalis, confirmavit. *c.*

Ex his igitur luculenter apparet, Michaëlem I. minime ad annum usque 1426. vivere potuisse, neque Andream anno 1434: obiisse, sicut Orlovius, Niesiecius & alii scribunt. *d.*

Errat quoque Nakielscius, quando p. 400. Andream primum Episcopum Kioviensium appellat, cum iam p. 247. de Henrico est locutus, & p. 320. Michaëlis I. fecit mentionem, pagina quoque 464. Michaëlem II. tertium Kioviensium appellat antistitem.

Omnes Autores uno ore conveniunt, eum circa annum 1439. e vivis esse ablatum. *e.*

K Sub

a. Dlugossus Libr. XI. sub anno 1410.
b. Nakielscius in Michovia p. 400. 412 413.
c. Nakielscius l. c. 420. ubi documentum profert, quod ita finit. Actum & Datum Cracoviæ die solis 26. Mens. Septembris ipso die Sancti Michaëlis Archangeli, anno M.CCCC. XXVI. Nos Michaël, Dei Gratia, Episcopus Kioviensis nostros 40. dies indulgentiarum addimus. &c.
d. In Defensa p. 83-T. I. p. 68.
e. Okolscius in Russia florida p. 58. it. in Ordine & Numero Episcoporum Chioviensium p. 11. & 12. Niesiecius T. I. p. 68. Bzovius in Propagine p. 6. Fridrichovicius in S. Hyacintho f. 228. Nakielscius in Michovia, p. 464.

Sub eo, Magnus ille Vitoldus, Lithuaniæ & Russiæ Dux anno Christi 1429. ætatis vero, 80. diem obiit supremum. Post eius mortem Schisma magnos fecit progressus, & Russi, non tantum Polonos sunt persecuti, sed & suos populares, qui unionem profitebantur, interfecerunt, muris deiecerunt, palis affixerunt, templa eorum in Volhynia igne vastarunt, *a.* Et hoc, favente Swidrigellone, qui post Vitoldi decessum, Lithuaniæ & Russiæ Principem se fecerat, cum tamen nihil proficeret & inconstans & varius esset Princeps, occupato anno 1433. Vitepscio, Erasmum, Schismaticorum Metropolitam, quem sibi in locum pii Gregorii, qui adhuc vivebat, & unionem promovebat, elegerant, captivum fecit & vivum comburi iussit. *b.* Inter has turbas mortuus est Gregorius & Isidorus Ruthenus vel Bulgarus gente, 1437. eum excepit. Hic ob suam eruditionem, pietatem & virtutes, inter Patres purpuratos locum in Concilio Florentino obtinuit, cui in Comitatu ducentorum Equitum adfuit. *c.* Eo sedente, Tartari Podoliam & Russiam Leopolim usque impune vastabant, quos quidem Glinianorum Præfectus, Vindica, insecutus, afflixit, sed multitudine circumfusus, honestam mortem oppetiit. *d.*

a. Stricovius libr. II. c. 2.
b. Stricovius Libr. XVI. c. 5.
c. Okolscius in Ordine & numero Kioviensium Episcop. p. II.
d. Cromerus, libr. XXI. f. 315. 321.

IX. JOANNES.

Michaëlem II. in Episcopatu secutus est, Joannes, cuius instituti vel ordinis fuerit, non facile probari potest, Patres Sancti Dominici & Sancti Francisci minores, hac de re inter sese disputant, Fridrichovicius & Okolscius primis eum adscribunt. *a.* Skirgello qui 1387. Magnus Dux Lithuaniæ erat factus, Patribus Sancti Francisci, Vilnæ habitantibus, literas dederat in aream, quam illis Vilnensis Præfectus Hanul donaverat, Quia igitur has litteras frater Gregorius de Cracovia, Guardianus dicti Ordinis, Casimiro IV. Jagellonis filio, Magno tunc temporis Lithuaniæ Duci, confirmandas porrexerat, idque præsente Joanne nostro, Episcopo Kioviensi, putant multi, eum ex hoc ordine fuisse. *b.*

Quoniam Swidrigello, post Vitoldi mortem, plurimos in Russia excitaverat motus, Præsul Kioviensis, penes sedem suam inter callidos Schismaticos, securam mansionem obtinere non potuit. Eo sedente, Isidorus Metropoli sua se abdicaverat, & Gregorius Archimandrita a Pio I. Pontifice Maximo Româ in

a. Jn S. Hyacintho fol. 228. Jn Russia florida p. 58. & in Numero & ordine Chioviensium Episcoporum.
b. Magister Corona in Speculo Provinciæ Russ: Sancti Francisci.

eius locum fuit missus. Rutheni eum & Lithuani libenter accipiebant & amabant, Mosci vero, alium sibi elegerunt, nomine Jonam. Dyonisius tunc temporis Constantinopolitanus erat Patriarcha, hic ad Russiæ Episcopos scripserat, ut Gregorium Metropolitam reciperent, enim Jonam pro Metropolita non agnoscebat.

Multum ad hanc unionem conferebat, quod Sanctus Casimirus a Rege Patre interdictum obtinuerat, ne Græci nova templa in Lithuania erigerent, nec antiqua repararent. *a.*

Pius iste Præsul anno 1451. tranquilla morte obiit. Naramovius eum omisit, & Nakielscius quoque eum silentio præteriit

Circa hæc tempora, & quidem 1439. Sigismundus Vitoldi frater, qui a Rege 1430. Magnus Dux Lithuaniæ erat declaratus, a Principe Joanne Czartoriscio coniuratione facta fuit interfectus. *b.*

a. Orlovius in Defensa p. 340. 341. Okolscius, l. c.
b. Cromerus Libro XX. pag. 318.

X. CLEMENS seu Climuntus.

Homo hic quidem fuit plebeius, & humili genere natus; sed probus & virtutibus nobilissimus. Per hoc quoque, perennem in terra, & æternam in Cœlo sibi conciliavit gloriam. Designatione Regia ad hanc Cathedram pervenit, circa annum 1451. *a.* Regum erat amor, Patriæ delicium, Consiliarius optimus, fidei zelator indefessus. *b.* Pius iste Præsul Cathedræ suæ summa dexteritate & magna gloria præfuit. Anno vero 1473. die Saturni XIII. Junii apud Kioviam, omnibus Sacramentis religiose munitus, annis XXII. in Pontificatu exactis, mortuus, & in Ecclesia sua Kioviensi fuit sepultus. *c.* Erant sub eius Episcopatu sæcula nivea Kioviæ, & tranquillitas summa, inter unitos & Schismaticos.

Simeon Olelcovicius tunc Kioviensium erat Dux. Quem quoque Lithuani, Casimiri absentia non contenti, Ducem habere volebant, post eius mortem, quæ anno 1470. secuta, Rex Russiam in Provinciam mutavit, & Gastoldum primum Palatinum constituit, Quia Simeonis filius, nomine Basilius ad iustam ætatem nondum pervenerat, Kiovienses postulabant eius fratrem, nomine Michaëlem, Nowogrodiensium Ducem, Severiæque Præfectum, Rex tamen eis hoc non concessit. Erat hic Simeon ex Olgierdo, sicut & Jagello procedens, natus ex filia Ducis Moscoviæ. Filia Simeonis, nomine Alexandra erat Consors Constantini Ducis in Ostrog. Filius vero Basilius reliquit Georgium qui ex Radivilia duos filios Simeonem & Georgium, genuit,

a. Stricovius libro XII. p. 651: Cromerus Libro XXVIII. pag. 406. Nakielscius in Michovia, p. 464.
b. Orlovius in Defensa p. 85.
c. Dlugossus libro XII. Cromerus libro XXVIII. Nakielscius in Michovia p. 464. 538.

nuit, Simeonis tres filii ex Tęczynia progeniti, fine prole mortui sunt, soror vero eorum, Radivilii Pocillatoris M. D. L. consors, lineam domus Slucensis finivit.

Illius quoque tempore, anno nimirum 1469. Zavolscenses Tartari, tribus itineribus in Russiam venerunt, atque Podoliam invaserunt, Zytomiriam, Vlodimiriam, & Cremenetiam devastarunt. Alii cum Duce suo Mamiako in Valachiam transierunt. Sed Stephanus, Palatinus Moldaviæ, illos devicit, Ducem in captivitatem duxit, Legatos missos a Zavolscensi pro Captivo, palis affixit, ipsorum Ducem dissecavit, unum ex legatis abscissis auribus & naso, ad Zavolscensem Dynastam remisit. *a.*

a. Cromerus Libro XXVII. pag. 397.

XI. ALBERTUS NARBURTUS,

Armorum Tubæ.

Clemens Albertum Narburtum, equestri apud Lithuanos familia ortum, Regis Casimiri nominatione, successorem accepit. *a.* Vir erat strenuus, & Religionis Catholicæ propagandae studiosissimus, & ob hoc studium Ecclesiæ plurimum proficuus. Magnis ornatus erat dotibus, scientia illustris, humanitate præclarus, in dicendo suavis & gravis, omnibus tamen amabilis, & qui iusto titulo maximam laudem meruit. Autores fere omnes de eo confuse tractant. Alii volunt, eum de armis Tubarum fuisse. *b.* Alii eum domo Bipennium adscribunt. *c.* Prior sententia praeferenda esse videtur, quia, sicut Niesiecius demonstrat, familia hæc, originem suam non a Butrimo, uti Okolscius putat, sed ab Ostyka, quæ familia in Comitiis Hrodlensibus arma Tubarum adsumsit, habet.

Magna procreatus familia, & magna pro Ecclesia & Deo, plura pro gloria domus, proficua pro anima, ceu bonus pastor & successor, post pium & Sanctum virum tentavit & effecit. Initia tamen ipsius perturbata erant a Tartaris, qui Territorium Mescenecense, Kioviæ vicinum, depopulati ad 700. homines captivos abegerunt. *d.* Aidorus quoque, Ezigeris filius, a Camenetia versus Haliciam & Zbarasiam in longitudinem centum, in latitudinem triginta milliaria devastavit. Qua occasione Juanus, Dux in Zbaraz, arce expugnata & incendio deleta, periit, consors & filius in captivitatem abducti, quæ clades in Ducem Czartoriscium & Gastoldum, Kioviæ Palatinum retorquebatur. *e.* Postea Podoliam, Bratislaviam incenderunt. Novo-

a. Cromerus Libro XVIII. pag. 406.
b. Niesiecius T. III. p. 340. & Tomo: IV. p. 375.
c. Okolscius in Ordine & numero. Chioviens. Episcop: p. 15. Bielscius fol: 456. Dlugoss: libro XII. Orlovius in Defensa p. 86.
d. Cromerus Libro XXII. 406.
e. Cromerus Libro XXII. 409.

Novogrodum quoque Magnum, civitas amplissima & opulentissima, a Vitoldo occupata, & quæ centum millia aureorum Magno Lithuaniæ Duci singulis annis solvebat, a Moscorum Duce Joanne fuit ereptum. *a.*

Hinc Severia Russorum ad Moscum defecit, Sachmatus quoque Zavolhensium Dux, cum Perecopensium Duce inter Kioviam & Czerniechoviam grave confecerunt bellum. *b.* Etiam Valachus, Mucha dictus Russiam infestavit. Mortuo vero Casimiro Rege 1492. Motus circa electionem Regis, moxque sub Joanne Alberto Tartari Tauricani in Podoliam & Volhyniam excurrerunt, & ad Visniovecíam in Polonos vicerunt, Stephanus quoque debellando Rùssiam cum Valachis, ad centum millia captivorum in servitutem abduxit. *c.* Hoc igitur turbulento rerum statu, bonus & vigil Ecclesiæ Kioviensis Præsul, licet pluribus annis, salutis fructum desideraret, pressus tamen his incommodis, non tantum præstitit suæ Cathedræ, quantum desideravit, sed quantum potuit. Ecclesiæ status sub eo erat optatissimus, Metropolitæ enim Kiovienses veram religionem spirabant. Hac igitur intentione Michaël Rachosa, qui antea Episcopus Smolenscensis fuerat anno 1476. Legatos Romam misit ad Sixtum IV. Summum Pontificem cum litteris, quibus eum caput Ecclesiæ & Christi Vicarium agnoscebat, simulque petebat, ut Pontifex Nuntium mitteret, qui differentias secundum Decretum Concilii Florentini componeret. *d.* Simeon eius successor nec pro unione, nec in eius ruinam laboravit. Morte præventus, in eius locum 1472. fuit constitutus, Jonas Hlezna, qui recepta unione, sæpe in Casimiri aula degebat, & cum is moreretur, præsens aderat. Macarius eum 1490. exeeperat, & prius Archimandrita Vilnæ apud Ecclesiam S. Trinitatis fuerat, hac dignitate, litteras Romam missas subscripsit, & fideliter cum Ecclesia sensit, a Tartaris tandem fuit decollatus & Kioviæ in Cathedrali Ecclesia Sanctæ Sophiæ, terræ mandatus, Clericieius in captivitatem fuerunt abducti. *e.* Kiovienses Palatini tunc temporis erant Georgius Pac, Demetrius Princeps Puciatycius & Georgius Montowtovicius.

Tandem Præsul ille optimus senio gravatus anno 1507. sedis vero suæ trigesimo quarto, pia morte obiit. *f.*

a. Vapovius. Crom: Libr. XXIX. p. 422.
b. Cromerus Libr. XXIX. p. 227. 228. 440.
c. Cromerus, *Libr:* XXX. pag. 430.
d. Orlovius in vindiciis 343. 344.
Legati erant Jacobus Notarius M. D. L. & Joannes Soltan Thesaurarius Lithuaniæ, qui postea Metropolita est factus, Litteras subscripserant, Joannes, Archimandrita Monasterii Lauræ Kioviensis, Macarius, Archimandrita Vilnensis & alii.
e. Striycovius p. 724.
f. Nakielscius in Michovia p. 576.

XII. MATTHIAS RADIVILIUS

Dux in Olyka & Nieſwież, Armorum Tubæ.

Si Okolſcii ordinem, in deſcribendis Kiovienſium Epiſcopis ſequeremur, nunc Moyſes, ordinis Prædicatorum eſſet nominandus. Nam non tantum in numero & ordine Epiſcoporum dicit, eum Regis Sigiſmundi nominatione ad hoc munus anno 1514. eſſe deſignatum, & 1522. mortuum. *a.* Sed & in Ruſſia florida idem affirmat. *b.* Quia vero alii Autores, maiori fide demonſtrarunt, Moyſen nunquam ad Epiſcopatum fuiſſe promotum, ſed tantum Kioviæ in Ordinis ſui Conventu, Prioris munere, fuiſſe functum. *c.* cui ſententiæ & ipſe denique Okolſcius veritate convictus, annuere videtur. *d.* eum de induſtria omiſimus. Naramovius in facie rerum Sarmaticarum, Nicolaum quendam Kiovienſium antiſtitem in annum 1519. ſubſtituit. ſed nullum producens autorem fide dignum, ipſe fide deſtituitur. Veritati igitur conſentaneum eſt, Radivilium in Narburti locum Sigiſmundi I. deſignatione fuiſſe evectum. Vir hic erat, robore animi & celſis virtutibus clarus, humanus & facies ipſa ſingulare quid pietatis præ ſe ferebat. Parens iſtius familiæ erat Woyſundus. Hic duos reliquit filios, Oſtycium & Nicolaum. *e.* Omnes fere autores hic errant, ipſe Koialovicius a Dlugoſſo, Miechovita & Cromero ſecutus, quando hunc Oſtycium, Nicolai Patrem faciunt. Oſtica vel Oſticius habuit filium nomine Stanislaum, a quo Radivilius noſter communiter ab autoribus Oſticovicius appellatus, fuit procreatus, & a quo Duces in Nieſwież & Olyka proveniunt. Qui vero a Nicolao procedunt, nominantur Duces in Bierże & Dubinki. *f.* Hic virtutis & Religionis exempla ex familia & quidem ab Alberto, Vilnenſi, & Nicolao, Samogitiæ Antiſtitibus deſumens, eorum quoque veſtigiis inſtitit, unde proficuus Eccleſiæ Dei, gratus Regiæ Maieſtati, dilectus Clero ſemper fuit. Satis diu Cathedram rexit, Decius enim iam anno 1507. de illo facit mentionem, ex quo ſequitur, eum ſtatim poſt Narburti obitum ad hanc dignitatem fuiſſe nominatum.

Orlovi-

a. P. 16. Lit Q. ex Actis Provinciæ Poloniæ Capituli Lovicienſis, ubi inter Commiſſiones talia leguntur verba: *Damus licentiam fratri Moyſi, Priori Kiovienſi ad Epiſcopatum Kiovienſem ad proviſionem S. Regiæ Maieſtatis, quem volumus manere in ſuo Prioratu usque ad ſuam conſecrationem,* ſed paulo inferius ipſe dubitat, an confirmatus fuerit, & ſic ſcribit: *a Sigiſmundo I. delata hæc ſuffragia erant in Moyſen at ſi confirmatus fuerit non conſtat,* & in fine, ſatis luculenter apparet, Okolſcium incertum veritatis fuiſſe, quando claudit *Lego in Catalogo demortuorum, fratrem Moyſem Priorem Kiovienſem in anno 1522. ſed non ponitur, quod Epiſcopus fuerit, Hicne eſt electus, vel alter, Dominus novit.* Quid clarius hoc teſtimonio eſſe poteſt.

b. p. 59. & 118.

c. Fridrichovicz in S. Hyacintho p. 229. Nieſecius T. I. p. 69.

d. Okolſcius l. c.

e. Statutum Laſci f. 127. 140.

f. Cynerſki in Acromete Genealog. huius familiæ.

Orlovius in vindiciis dicit eum anno 1545. mortem cum vita commutaſſe. *a*.

Nieſiecius vero & Nakielſcius volunt, eum anno 1546. eſſe defunctum. *b*. In primo vero Tomo p. 69. Nieſiecius ex Nakielſcio deducere ſtudet, eum 34. annos Cathedram occupaſſe, ſed errat, Nakielſcius enim l. c. id eſt p. 276., non de Radivilio noſtro, ſed de Narburto hoc loquitur, & p. 644. expreſſe dicit, eum anno 1546. mortuum eſſe.

Sub eo Joſephus Soltan, Kiovienſem adminiſtrabat Metropolim. Hic antea, Lithuaniæ fuerat Mareſchalcus & electo ſtatu Eccleſiaſtico, Epiſcopus Smolenſcenſis evaſit, inde aſcendit Metropolim, in qua usque ad annum 1516. ſedit. *c*. Eius locum poſtea occupavit Jonas, Archimandrita Minſcenſis, qui favore Reginæ Helenæ, Alexandri uxoris ad hanc Dignitatem pervenit. Sub eo unio cum Eccleſia Romana, quæ ab anno 1364. læte viguerat, fuit diſrupta, & multi non tantum plebeii ſed nobiles quoque, qui Reginæ placere ſtudebant, unionem publice abiurabant. *d*.

Epiſcopi, maiora timentes, Regem Sigiſmundum eo adducebant, ut in comitiis Grodnenſibus anno 1522. Lex conſtitueretur, quæ omnes, qui ad Ritum Græcum redibant, a Dignitate Senatoria excluderet, & anno 1543. nova lege fuit ſancitum ut omnia privilegia a Regibus Poloniæ, Ruſſiæ data, tantum in favorem unitorum locum haberent, Sigimundus tamen ipſe, legibus his latis, poſtea executionem denegabat, & interceſſione Helenæ poſt Metropolitæ Jonæ mortem, Macarium, qui in Aula Reginæ antea fuerat, Schiſmaticum in eius locum ſubſtituit.

Poſt primos ſtatim eius nominationis annos, Moſcus Smolenſcum, quod Vitoldus acquiſierat, recepit, & die ſequenti, ipſe Moſchorum Monarcha introivit. Tartari incurſiones in Ruſſiam facientes, a Conſtantino Duce, atque Oſtaphio Præfecto Circaſienſium fuerunt repreſſi, anno enim 1514. in die Nativitatis B. V. Mariæ dictus modo Dux 70000. Moſchorum vicit & plurimi Nobiles Moſchorum in captivitatem abducti, Boruſſoviam Regi Sigiſmundo fuerunt transmiſſi. Jllius tempore Tartari per Nigram Sylvam venientes, in quatuor partes diviſi, Ruſſiam vaſtare intendebant, ſed hos, qui verſus Laticoviam proceſſerant, Stanislaus Lanckoronius, Capitaneus Camenecenſis fudit, at ibi Romanus, Dux in Oſtrog, obiit, & nepos Conſtantini ſagitta transfixus eſt. Hos, qui verſus Miedziborum

L 2

a. p. 87. & Nieſiecius Tom. I. p. 69.
b. Nieſiecius, T. III. p. 486. Nakielſcius in Michovia p. 644.
c. Nieſiecius T. I. p. 69. Orlovius in vindiciis p. 344.
d. Nieſiecius l. c. Orlovius 345.

borum ibant, ad villam Radzinice Paulus Farureius diſſipavit. Qui ad Zinkoriam, Jacobus Secigniovius. Palatini Kiovienſes, eo ſedente, fuerunt, Andreas Niemira, qui cum Georgio Slucenſi Duce, Tartaros vaſtantes oram Kiovienſem, ad Rutkum fudit, octo millibus eorum occiſis, Georgius Radivilius, qui poſtea Caſtellanus Trocenſis eſt factus, Joannes Princeps Dubrovicius, qui anno 1543. Palatinus eſt Trocenſis factus, Simeon Dux in Prunsko. *a*.

a. Stricovius p. 746.

XIII. JOANNES ANCHUSCIUS vel Andruſſovicius, de Armis Doliwa.

Poſt Radivilium nonnulli Marcianum Tryznam, gente Lithuanum, de Armis Gozdawa. *a*. Alii Ioanem Anchuſcium Kiovienſium faciunt Epiſcopum. *b*. Et difficilius eſt, hanc litem diſſolvere, quam quis credere poſſet. Nieſiecius & Orlovius, ne verbum de Tryzna dicunt & Nakielſcius in Michovia duobus in locis expreſſe ſcribit, Andruſzovicium Radivilio in Epiſcopatum ſucceſſiſſe. *c*. Attamen Okolſcius in Numero & ordine. *d*. poſt Radivilium ei aſſignat locum, & talia producit documenta, quæ, ſi vera eſſent, nullum dubium relinquere poſſent. *Eximius hic Paſtor*, dicit: *aſſumptus eſt ex Referendario & Notario M. D. L. ad adminiſtrationem Epiſcopatus Kiovienſis, ſub Duce Radivilio, Epiſcopo Kiovienſi, ob Magnam diſtantiam Kioviæ a M. D. Lithuaniæ, poſt eius deceſſum Epiſcopus, Regis ſuffragio fuerat creatus. Adnotantur*, pergit ille, *ipſius arma in Eccleſia Cathedrali Kiovienſi cum Inſcriptione, quod Epiſcopus Kiovienſis poſt adminiſtrationem & deceſſum Radivilii fuerit.* Verba ſunt ſatis bona & clara, tota tamen aberrat via, & negligentia iſta probat, quod ſcripta ſua diligenti examine & disquiſitione egeant. Nam quando de familia Tryznarum loquitur, omnem ordinem invertit, & Martianum M. D. L. Referendarium Epiſcopatus Vilnenſis Adminiſtratorem & Coadiutorem, qui ſeculo ſequenti vixit, cum ſuo Epiſcopo Kiovienſi cunfundit. *e*. Sed audiamus Autorem ipſum. *Ex illa illuſtri familia*, perſequitur, *fuit quoque magnæ expectatiouis vir Martianus Tryzna M. D. L. Referendarius, Cracovienſis & Trocenſis Præpoſitus Adminiſtrator Epiſcopatus Vilnenſis. Hi duo Epiſcopi adminiſtra-*

a. Okolſcius in Numero & Ordine pag. 19.
b. Nakielſcius in Michovia 644. 703.
Orlovius in Defenſa 87. 88.
Vadingus in Annalibus n. 28.
Biernaſcius in ſpeculo Minorum p. 253.
c. p. 644. & 703.
d. l. c.
e. Nieſiecius T. IV. pag. 385.

ſtrarunt Epiſcopatum Kiovienſem fere annis XXVI. ſicut colligitur, ex computatione annorum Electionis ſubſequentis Epiſcopi Joannis. Quid falſius hoc dici poſſet. Coadiutor Vilnenſis anno 1643. obiit, quomodo potuit cum priori, Kiovienſis Epiſcopatus adminiſtrator eſſe. Si vellemus dicere, eum ſub Radivilio hanc Cathedram 26. annos adminiſtraſſe, hoc quoque non eſſe poteſt, quia nec minima de eo fit mentio, & ſæculo decimo ſexto nullus Marcianus ex Tryznarum familia vixit. Maximæ igitur negligentiæ eſt accuſandus, quod Marcianum, Vilnenſis Epiſcopatus Coadiutorem, quem, eodem cum eo vivens tempore, cognoſcere debuit, in alius locum poſuerit. Ex Anchuſcii noſtri quoque vita, clare patebit, Tryznam nunquam Kievienſium fuiſſe antiſtitem. Anchuſcius vir erat nobilis & a primis annis in litteris & bonis moribus bene enutritus, prompti ingenii, laborum patientiſſimus, negotiorum Reipublicæ peritiſſimus, Orlovius eum armis Colonnæ adſcribit, *a.* Okolſcius vero non tantum ex picturis, in Cathedrali Eccleſia Kievienſi proſtantibus, probat, eum de armis Doliwa fuiſſe, ſed & expreſſe dicit, Naczkonem, de quo illi procedunt, in Comitiis Hrodlenſibus pro domo ſua Arma Doliwa accepiſſe. *b.*

De anno, quo ad Epiſcopatum pervenit, magna iterum eſt diſſenſio. Okolſcius dicit, eum anno 1543. Epiſcopum fuiſſe electum, ſed falſo, & paulo ante ipſe ſcripſit, Tryznam 26. annos Epiſcopatum Kievienſem adminiſtraſſe, quia igitur, ut ſupra demonſtravimus, omnes auctores & Okolſcius ipſe, conveniunt, Radivilium anno 1546. mortuum eſſe, inde ſequitur, Tryznam nunquam Epiſcopum fuiſſe, nec Anchuſcium anno 1543. fuiſſe electum.

Poſt eius nominationem quæ anno 1546. ſicut ex Nakielſcio patet, Vilnæ facta eſt, in gravisſimum incidit morbum, ſed voto ad ſanctos nuncupato, qui Vilnæ ſunt ſepulti, ex ordine Sancti Franciſci, convaluit. Unde Deo optimo & Sanctis interceſſoribus, referendo gratias, in honorem ipſorum conſcripſit carmen, euchariſticum, quod nominato anno ad Sanctorum ſepulcra appendi iusſit. Anno 1555. ex Kievienſi ad Luceorienſem aſcendit Cathedram. Quam diu in ea fuerit, & quo anno mortuus ſit, quoque non conſtat. Nakielſcius in Michovia errat, quando ſcribit, eum Epiſcopum Kievienſem anno 1579. eſſe mortuum,

a. Orlovius l. c.
b. Nieſiecius T. III. p. 331.
Okolſcius l. c. p. 19.
Laſci Statutum fol. 178.

tuum, nam Luceorienſem Wierzbicius iam ante annum 1569. occupabat, & unionem Lithuaniæ cum Polonia dicto anno ſubſcripſit, Pacius vero eum in Kievienſi excepit.

Sub eo Schiſma ſub cinere quaſi gliſcebat. Sigismundus enim Auguſtus in Religione remisſior erat, quam omnes fere eius anteceſſores.

Eius quoque tempore Radivilius Vilnenſis Palatinus, ad Starodubum & Homel in Severia, Moſcum debellavit, Ouczynam, Ducem illorum in ſervitutem deduxit.

Palatinus Kiovienſis erat Chodkievicius, qui poſtea Trocenſis Caſtellanus eſt factus.

XIV. NICOLAUS PAC.
de Armis Gozdawa.

De Andruſovicii ſucceſſore autores iterum diſputant. Orlovius ei Stanislaum Socolovium dat. *a.* qui tamen nunquam ad Dignitatem Epiſcopalem fuit evectus, id quod ſatis luculenter ex eius apparet vita, quam nos *Peregrino* ſuo, anno præterito Varſaviæ impreſſo, adiecimus. Alii meliori iure Pacium ei adiungunt. *b.* Verum quidem eſt, magnum temporis intervallum ab Anchuſcii morte ad Pacii noſtri nominationem intercedere. Anno enim 1564. Kievienſium Epiſcopus fuit deſignatus, id quod ex ipſa Conſtitutione huius anni patet. *c.* Erat vero gente Lithuanus, ex per vetuſta & ob merita, Patriæ, belli paciſque tempore præſtita, inſigni familia, Patre Alexandro Podlachiæ Palatino, & Alexandra, Principis Holſanenſis filia, progenitus. A prima iuventute in Patria domo his in artibus fuit educatus, quæ ad corporis & ingeniorum cultum ex æquo pertinent. Poſtea humanitate & benevolentia ſua magnum ſibi comparaverat nomen, & inter eximios numerandus eſſet Patriæ Cives, niſi labe doctrinæ falſæ fuiſſet infectus. Erat magnificus muſicæ & artium amans, Virorum doctorum *d.* eximius Promotor & Protector. Sed in Religione varius & inconſtans, magis humanis, quam divinis rebus deditus. Conſtat enim, eum Calvini fuiſſe aſſeclam, cuius doctrinam libri ab eo conſcripti ubique redolent. Paprocius non dubitat affirmare, eum hanc ob cauſam ſacris initiari ordinibus non voluiſſe, & tandem ſtatui Eccleſiaſtico valedixiſſe. *e.* Koialovicius ei poſtea inter Caſtellanos Kievienſes

a. in Vindiciis p. 88.
b. Okolſcius, Nakielſcius, Nieſiecius & alii.
c. fol. 52.
d. Nieſiecius T. III. p. 540. Okolſcius in Ordine & Numero Epiſcoporum Chiovienſium p. 20.
e. Paprocius, fol. 674.

ſes aſſignat locum, ſed errat, meliori iure Sarnicius dicit, eum Anno 1587. Mſcislavienſem fuiſſe Caſtellanum. *a.* inter quos quoque apud Nieſiecium reperitur.

Orlovius vult, eum iam 1580. obiiſſe. *b.* & Nakielſcius eius mortem in annum 1589. coniicit, *c.* quod quidem, quoad annum, eſſe poteſt, quia, ut Sarnicius dicit, anno 1587. adhuc Mſcislavienſis fuit Caſtellanus, ſed valde hallucinatur, quando adigit, eum Epiſcopum Kiovienſem eſſe mortuum. Ipſius tempore, anno nimirum 1569. in Comitiis Lublinenſibus, Volhynia, Podlachia & Kiovia, æternis temporibus Regno Poloniæ fuerunt iunctæ. Habebant tunc Kiovienſes Metropolitam, Virum Nobilem ex M. D. L. ortum, & magnis honoribus auctum, nomine Sylveſtrum Wielkievicium, qui abdicato Theſaurarii munere, ſtatum Eccleſiaſticum elegit, & ex Archimandrita Vilnenſi & Trocenſi, Regis Sigismundi Auguſti favore, anno 1556. ad Metropolitæ totius Ruſſiæ dignitatem erat evectus. Vir quidem potens opibus, ſed rudis & Litterarum adeo expers, ut vix legere noverit. Cum Pacio noſtro coniunctiſſime vixit, ſed in rebus fidei nullum emolumentum fuit tentatum, ubi enim deeſt ſçientia, ibi plerumque & Religionis deeſt fervor & promotio, ſub hoc Wilkievicio Schiſma fuit fundatum, & ſucceſſores eius Ionas Protazevicius, Elias Kucza, Oniſiphorus Dziewocza, id adhuc magis magisque promoverunt. Opportune hoc accidit, tempore interregni, poſt mortem Sigismundi Auguſti & Stephani Batori, ubi Schiſmaticorum audacia, eo usque proceſſerat, ut non dubitarent, in Comitiis Convocationis propoſitiones offerre, quas recens electus Rex iuramento confirmare debebat, & quibus pacem & tranquillitatem confirmatam habere volebant. Ex parte vero ſtatus Eccleſiaſtici contra hocce auſum ſolenniter fuit proteſtatum. *d.* Palatinus Kiovienſis eo tempore erat, magnus ille. & æterna memoria dignus, Conſtantinus Dux Oſtrogius, qui anno 1606. eſt mortuus.

a. Sarnicius in præfatione Annalium.
b. in Vindiciis p. 88.
c. in Michovia 708.
d. Orlovius in vindiciis 346. Nieſiecius T. I. p. 90.

XV. JACOBUS Dux Woroniecius.

Hic ex Magni Ducatus Lith: Ducibus procedens, a Koributho, Olgierdi filio, originem duxit, & cum Ducibus Zbaraziis & Viſnioveciis unam eandemque conſtituit lineam, a bonis vero diverſa ſortiti ſunt cognomina. Cura & ſumptu Joannis Sieninii, Leopolienſis Archiepiſcopi, affinis ſui,

ſumma induſtria fuit educatus, eius quoque perſuaſu animum ad ſtatum Eccleſiaſticum convertit, & Præpoſitus Geranovienſis ac Plebanus Kovienſis eſt factus. Paulo poſt amicorum promotione, Cancellariatum Gneſnenſem atque Præpoſituram Laſcenſem obtinuit. *a.* Apud Padnievium, Cracovienſium Pontificem, in ſummo erat favore, cuius commendatione anno 1572. non vero, ſicut Okolſcius & alii ſcribunt 1592. a Rege Sigiſmundo Auguſto, Epiſcopus Kiovienſis fuit denominatus, Patriam magni animi dotibus, Eccleſiam pietate, venturas ætates pulcherrimis virtutum exemplis fortunavit. Tonitru erat Schiſmaticorum & perfidiæ Græcæ fulmen. Ab Henrico anno 1574. ad Samogitiæ Epiſcopatum occupandum fuerat deſtinatus, ſed Lithuani eum recipere recuſabant. *b.*

Rex Stephanus, Henrici ſucceſſor eum valde amabat, & fratris ſui authoritate, qua apud hunc Principem Eleemoſynarii munere fungens, multum valebat, effecit, ut paulo ante dicti Regis mortem, Cracovienſium Pontifex nominaretur. *c.* Quia vero ſubſequentis Interregni tempore, Maximiliani partes, fortiter ſuſtinebat & Zborowiorum & Gorcanorum Comitum precibus eo adduceretur, ut anno 1587. 12. Auguſti dictum Principem non tantum Poloniæ Regem publice proclamaret, ſed & inſequenti die Varſaviæ, in Templo Bernardinorum, in ſuburbio Cracovienſi ſito, ad Eccleſiam Collegiatam Civitatis antiquæ non admiſſus, laudes Deo pro Maximiliani Electione ſolennes redderet, Cardinale Radivilio ſacra gratiarum celebrante, adhæc quoque inter, legatos, qui conſcriptas conditiones, quas, Maximilianus iuraret, & cum Decreto Electionis & pactis ad eum fuerat miſſus. poſt infauſtam vero apud Byczynam pugnam, cum Maximiliano ſuo novo creato Rege & aliis Proceribus fuerat comprehenſus, Sigismundus Tertius, qui ei hanc ob cauſam erat infenſiſſimus, omni ſtudio, poſtea impedivit, quo minus ad dicti Epiſcopatus poſſeſſionem perveniret, *d.* Huic ignominiæ non diu ſupervixit. Anno enim 1588. pia morte obiit. Reliquit opus prædicationum, quod de labore & fructu fidei teſtimonium dare poteſt. Cathedræ utilis fuit, Eccleſias enim ditavit & Altaria ornavit.

Ultimo vitæ ſuæ anno, Michaël Rahoza, Kiovienſis factus eſt Metropolita, qui reſciſſam unionem mirifice promovit, ab initio quidem rudis animus atque infeſtus rapacitate Ruthenicus

a. Sulicovii Commentarius rerum Polonicarum p. 18. Nieſiecius T. IV. p. 597.
b. Mſ. Rozrazenſe.
c. Koialovicius in MS.
d. Piaſecius in Chronico p. 73.–82. Acta Ordinum Regni Poloniæ Anno 1587. Cracoviæ impreſſa, in epiſtola ad ſummum Pontificem Sixtum V. die 26. Auguſti 1587. ſcripta. In Epiſtola ad Cæſarem eodem die data. In Epiſtola ad univerſos Principes Chriſtianos die XII. Octobris 1587. exarata.

thenicus miles, operis tam Sancti fructum valde impedivit, progressu vero temporis, conatus iste suus non sine benedictione fuit.

XVI. JOSEPHUS de Zbaraz Wereſcinius. Armorum Korczak.

Hic ex antiqua & nobili Terræ Chelmenſis ortus eſt familia, quæ a Religione græca ad Catholicam Romanam tranſiit. Andreas Wereſcinius, Subiudex Chelmenſis, Epiſcopi noſtri Pater, primus fuit, qui per Gregorium Soſnovium, Officialem & Canonicum Chelmenſem, avunculum ſuum ad fidem Romanam fuit perductus, cuius in domo quoque Joſephus noſter, omnibus in ſcientiis bene fuit edoctus. Poſtea Regis favore, Abbas Sieciechovienſis eſt denominatus, & Abbatiæ huic valde fuit proficuus, bona enim ab Anteceſſoribus alienata, recuperavit, monaſterium proprio ſumptu reſtauravit, pictuisque ornavit. Woroniecio e vivis ablato, Regis nominatione ad Epiſcopatum Kiovienſem pervenit. Vir erat probitate vitæque ſanctimonia maxime commendatus, in officio pariter religioſus ac exemplaris, non erat contentus Deo ſervire, ſed quoque alios ad eius cultum perducebat, ſæpe ſermones ad populum habebat, eumque inſtruebat. Maxime nobilium animos, deliciis & luxu diſluentes, ad ſeveriorem Chriſtianæ vitæ diſciplinam, efficaci facundia revocabat & in officio continebat. Utilis Eccleſiæ, Pauperum pater, paſtor ſeverus; in quo cum magna gravitate, ſumma coniuncta erat humanitas. In litteris ipſe bene verſatus, & viros doctos amabat magnique faciebat. Chuaſtoviam, oppidum ad menſam Epiſcopalem ſpectans, elegantioris nominis gratia, Wereſcinum vocaverat, ut videlicet bona Epiſcopi ab Epiſcopo nominarentur. Sed difficile inveteratum tollitur vocabulum. Habuit enim hoc oppidum & novum cognomen, a Patribus Societatis Jeſu, recens ibi collocatis inditum, Fauſtovia ſcilicet, ſed ubi mutarunt locum, appellatio quoque vetus, denuo ſucceſſit. Pius iſte Præſul anno 1599. morte fuit ereptus. *a.* Libri, ab eo patrio ſermone conſcripti, ſunt: *b.*

1.) Excytarz do podnieſienia woyny przeciwko Turkom y Tartarom in 4to. w Krakowie 1592. hoc eſt Paræneſis ad ſuſcipiendum bellum contra Turcos & Tartaros.

2) Publika, ſtrony fundowania ſzkoły rycerskiey, na Ukrainie, iako tez Krzyżakow Maltanskich na Zadnieprzu Cracov. in 4to. 1594. hoc eſt: Conſilium de erigenda Schola mi-

a. Okolſcius in Numero & Ordine Epiſcoporum Chiovienſium p. 25. Nieſiecius T. IV. p. 493. Orlovius in Vindiciis p. 61. Nakielſcius in Michovia 708.

b. Illuſtriſſ: *Zaluſki* modernus Epiſc: Kiovien: in ſua Bibl: Scripi: Polon:

lit ri in Ukrainia, & de locandis equitibus Melitensibus ad ripas Boristhenis.

3) Wizerunek o wzgardzie śmierci, Kazanie na dzień Zadusżny w ktorym dowodzi że iest czyściec. hoc est: Meditatio de contemtu mortis, sermo, die memoriæ fidelium defunctorum sacro habitus, quo probatur esse purgatorium.

4. Jnstrukcya o Spowiedzi, hoc: Instructio de Confessione & communione.

5 Gościniec pewny, obmierzłym piianicom do prawdziwego bacżenia a zbytkow pohamowania. hoc est: Via Regia & securissima, qua ebrietati & luxuriæ dediti, ad meliorem frugem deduci possunt.

6 Kazanie o Małżeństwie hoc est: sermo de Coniugio.

Metropolita Kioviensis tum erat Michaël Rahoza. Sub eo, duo synodi Bresciæ in Lithuania, intra duorum annorum spatium fuerant habitæ, prima, quæ optato caruit successu, ad 24. Jan anni 1594. studio Patris Possevini, Soc: Jesu & instinctu Hippacii Pociey Episcopi Vlodomiriensis, ut & Cyrilli Terlecii, Luceoriensis Episcopi Ritus Græci uniti, erat convocata. Acta synodi & fidei confessionem a Græcis subscriptam, dicti modo, duo Episcopi, Romam portaverunt, ut a Summo Pontifice confirmarentur. Interea vero magnæ turbæ a Schismaticis fuerunt motæ. Publice enim promulgabant, se a Metropolita & Episcopis unitis dolo esse circumventos, qui longe alia Romæ publicassent, quam ea fuissent, de quibus in synodo esset conventum. Res deniquc eo pervenit, ut Gedeon Balabanus, Leopoliensis Episcopus Ritus Græci, anno 1595. 1. Iulii in iudiciis Castriensibus Vlodimiriensibus, multis stipatus nobilibus, contra omnia, scripto longo protestaretur. Hoc rerum statu, post Episcoporum Roma regressum, Kioviensis Metropolita, Consilio Joannis Demetrii Sulicovii, Archiepiscopi Leopoliensis, qui a Summo Pontifice huius synodi Præses erat denominatus, ad 6. Octobr. anni 1596. alteram convocavit synodum, ut ibi unio, cum Græcis feliciter facta, & a Sancta sede confirmata, publicaretur. Græci tamen pervicaces & offensi, quorum caput erat, Constantinus Dux Ostrogius Kioviensis Palatinus, non, sicut synodus optabat, ad Ecclesiæ gremium deduci poterant. *a*.

Post Metropolitæ Rahozæ mortem, quæ anno secuta est 1599. duo in Russia Metropolitæ Regis & Senatus permissione, steterunt. Hippacius Pociey unitorum, & alter Schismaticorum, uterque titulo Metropolitæ Kioviensis & Haliciensis

a. Vid. Journal Litteraire de Pologne T. II. Art. XXIV. ubi nos ample de hac unione sumus locuti.

ſis utebatur. Uniti autoritatem a ſummo Pontifice, Græci a Patriarcha Conſtantinopolitano expoſcebant, Neceſſitas & ratio ſtatus requirebat, talia eo tempore pati, ne ſeditio inter Coſacos, qui Græcam Religionem profitentur, oriretur. Hi enim non Sanctorum Patrum veritate, Eccleſiæque Canonibus, ſed armis fidem decernere a Turcis didicerunt. *a.* Hoc quoque tempore, anno nimirum 1593. Theodorus Moſchoviæ Dux, a Clemente VIII. Pontifice Maximo, Coronam Regalem petiit, quæ ei hac conditione fuit promiſſa, ut ad Eccleſiæ gremium cum ſuis proceribus & ſubditis rediret. *b.*

a. Okolſcius in Ordine & Numero Chiovienſ: Epiſcop: p. 26.
b. Orlowius in vindiciis c. p. 25:

XVII. CHRISTOPHORUS Kazimirius, Armorum Biberſtein.

Hic ex Biberſteinorum gente, quæ a Comitibus in Regenſtat, ex Helvetia progreſſum duxit, ortus, virtutibus, religione, ingenio & moribus clarus fuit, a prima ſtatim iuventute, litteris bonis fuit imbutus, & ſtatum eccleſiaſticum amplexus, Præpoſitus Tarnovienſis eſt factus. In aula poſtea Georgii Radivilii S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopi Cracovienſis in ſuos mores formatus, ab eo variis negotiis fuit adhibitus. Eius quoque promotione anno 1599., Rege annuente, Kiovienſem accepit Epiſcopatum, ſed Cathedram ſuam ſtatim videre ei non licuit. Securitas ibi erat nulla, & bona ob Schiſma erant diſtracta & ſpoliata. Interea & quidem anno adhuc 1599. ex memorati Radivilii Cardinalis & Epiſcopi Cracovienſis commiſſione, univerſæ Diœceſis Cracovienſis luſtrationem & viſitationem ſuſcepit, quam dexteritate ſumma, magnoque ſuo honore perfecit. *a.* Anno demum 1606. Epiſcopatum ſuum ingreſſus, bona recuperavit, & ibi ſumma, quæ æviternam ſpirant memoriam, effecit. *b.* Ligneam & fere collapſam Cathedralem Eccleſiam, e lapide erexit. Qui lapis, cum circa Kioviam non reperiatur, nec unde cementum conficitur materia inveniatur, ille per tot leucas hæc omnia, non ſine magnis impenſis, conduci iuſſit, Conventui quoque Ordinis Prædicatorum ex fundamentis ſui clauſtri ad Eccleſiam B. V. M. ædificandam lapides eruere permiſit. Canonicos, inſtituendo quinque Canonicatus, auxit & providit. Bona Eccleſiæ via iuris ab iniuſtis Poſſeſſoribus recuperavit. Eos, quos

a. Nakielſcius in Michovia p. 795.
Orlovius in Vindiciis p. 92.
Okolſcius in numero & Ordine p. 26.
Nieſiecius T. II. p. 592.
b. Nakielſcius p. 817.

ad ſacros ordines promovebat, illico ad menſam recipiebat & larga eleemoſyna providebat, Eccleſiam Ordinis Prædicatorum recens exſtructam conſecravit. Plurimis demum ornatam Cathedralem Eccleſiam decoribus corporis ſui depoſitione poſt piam & tranquillam mortem, qui anno 1618. erat e vivis ereptus, cohoneſtavit. *a.*

Anno 1613. per Comitia Generalia cum aliis fuit deſignatus, qui de pace cum Moſcis ageret. *b.*

Naramovius in Facie rerum Sarmaticarum valde hic errat, quando Kazimirio noſtro, alium eiusdem familiæ, nomine Stanislaum ſubſtituit, &, quod adhuc mirum, Okolſcium citat, quem forſitan nunquam vidit, nam autor iſte, nec in Ruſſia Florida, nec in Numero & ordine Epiſcoporum Chiovienſium, de hoc Stanislao ullam facit mentionem.

Hic Caſimirius quoque bona ad Epiſcopatum pertinentia, & in Cherniechovienſi Palatinatu ſita, recuperavit. *c.*

Eo ſedente varia mala Kiovienſem invaſerunt Cathedram; Nam Coſaci agreſtes, religioſos Sancti Baſilii, qui ad unionem Eccleſiæ acceſſerant, Kioviam armata manu intrantes, ſubmerſerunt, & ob Metropolitas diverſos, qui per vices dogmata ſua aſpernabantur, Religioſi quoque, & Catholicæ Romanæ Eccleſiæ addicti, plurima ſunt perpeſſi. Varia adhæc ſcripta inter unitos & diſunitos, quibus fidem ſuam explicabant, fuerunt publicata. *d.* Verum Smotricius, *e.* apologia & Exentheſi ſua diſunitorum confutavit errores, & a Joachimo Morochovio, Vlodimirienſi Epiſcopo, clare & dilucide fuit demonſtratum, nullas alias debere Eccleſias fundari, niſi cum Eccleſia Romana, unitas. Principes quoque M. D. Lithuaniæ, petitionis Sancti Caſimiri, a Duce & Parente obtentæ, memores, ne conſtruerentur novæ

Eccleſiæ

a. Okolſcius l. c. Nakielſcius 865. Orlovius l. c.
b. Nieſiecius l. c.
c. Okolſcius in Ruſſia florida p. 170.
d. Scripta pro Schismaticis erant, Stephani Siſinii ſcriptum contra Smotricii Apologiam Vilnæ 1596. lingua Polona impreſſam. Ruſſus erat natione, ſed Calvinus corde.
Chriſtophori Philaleti Apocraſis impreſſa 1597.
Baſilii Suraſcii liber, contra ſynodum Florentinam
Zachariæ Gergani, ſcriptum pro Græcis.
Zachariæ Ruſſi Antigraphe.
Giſelius. Rector Collegii Kiovienſis, ſcripſit ſub nomine Gelaſii Diplicii, Antidotum Apologiæ Meletii Smotricii. Polonice Ille ſtudiis incubuit Lipſiæ & Vitembergæ, Ruſſus erat gente, & Thomam, a Kempis in Linguam Græcam tranſtulit, cuius verſio Francofurti anno 1626. eſt impreſſa.
e. Meletius Smotricius inter magnos & doctiſſimos, quos Ruſſia dedit viros, eſt numerandus, Natus patre Eraſmo, viro pariter docto, multarumque linguarum perito, qui præcipue ob ſacra Biblia, in linguam Sclavonicam translata, & ſumptu Conſtantini Ducis Oſtrogii, Oſtrogi Anno 1581. impreſſa, æternam meruit laudem, Noſter Meletius a Cyrillo, Lucaro qui poſtea Conſtantinopolitanus factus eſt Patriarcha, in omnibus bonis litteris fuit inſtitutus, poſtea Vratislaviam & Norimbergam excurrit, Lipſiæ deinique & Vitembergæ altiora ſtudia tractavit. Doctrina Lutheri ibi infectus, multas & magnas in Polonia movit turbas, & ad magnos apud Schiſmaticos pervenit honores. Ad unionem denique cura Velumini

Ecclesiæ Roxolanæ, nec collapsæ restaurarentur, spirituales Ecclesiæ Catholicæ unitos susceperunt, promoverunt, & Metropolitam Kioviensem & Haliciensem unitum in Lithuania declararunt. Schismatici, zelo & fervore Hippacii Pociey offensi, non tantum verbis & scriptis eum lacessebant, sed & livore inferorum incensi, illum e medio tollere studebant. Quidam eorum eiusmodi fuit audaciæ, ut Metropolitam vestitu Pontificali ornatum, & Vilnæ in festo Corporis Christi, in processione publica, ad Regis Sigismundi III. latus euntem, ense stricto, interficere tentaverit, & licet optimus ille Præsul ictum lethalem, manu elevata, evitasset, tres tamen perdidit digitos, & torques aurea in collo pendens vi ictus disrupta, colli vulnus vix impedivit, *a*.

Hippacio Pociey, anno 1613. e vivis sublato, successit Josephus Velaminus Rutscius. Hic inter magna Russiæ unitæ, lumina est numerandus, abiurata enim hæresi, ad Catholicam Ecclesiam rediit, & Romæ Theologiam summa diligentia tractavit, cum beato Josaphato Kuncevicio, Polocensium Archiepiscopo, omnem laborem pro unione Ecclesiæ adhibuit, qui multa a Heudo Metropolita est perpessus. Græci enim eo minime contenti, Borecium sibi elegerunt Metropolitam, qui quoque a Theophane, Hierosolymitano Patriarcha, qui hanc dignitatem in Ruthenia restituit, consecratus est. (? see below)

O dignis-

minis Rutscii anno 1627. perductus, anno 1633. II. Augusti, non fine veneni suspicione est mortuus Nos eius vitam lectu dignissimam & paucis notam ample descripsimus in Journal Litteraire de Pologne T. II. Articulo XIIX. scripta eius, ante unionem receptam, sunt,

Lamentum anno 1617. impressum

Elenchus 1623.

Contra Dialogum Civis Brestensis.

Contra redivivum Nalewayko.

Contra Politicam ignorantiam.

Contra Devotionem, novorum Ecclesiasticorum Vilnensium.

De Spiritu Sancto, more Syllogismorum per Græcos Romanis & per Romanos Græcis obiici solitorum.

Psalmi ex Græco in linguam Sclavonicam translati.

Testamentum novum, ex Græco in linguam Sclavonicam translatum, impressum Vilnæ 1623.

Dictionarium Græco-Sclavonicum.

Grammatica Græco-Slavonica.

SCRIPTA EIUS POST UNIONEM ET PRO ECCLESIA CATHOLICA.

Apologia peregrinationis, in orientem factæ 1623. & 1624. per Archiepiscopum Witepscensem & Micislaviensem. Archimandritam Vilnensem & Dermaniensem Leopol. 1628. in 4to Polonice.

Considerationes sex, de discordiis inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem, fidei Sanctæ Dogmatibus ibid: quoque Polonice.

Protestatio, contra synodum Kioviensem Anno 1628. Mense Augusto Kioviæ in Monasterio Pieczarscensi habitam, per istum, qui ex ea iniuriam passus est. Leopoli 1628. in 4to Polonice.

Exenthesis, sive Expostulatio inter Apologiam & Antidotum de erroribus hæresi & mendaciis Sizinii, Philaleti, Orthologi est Clericorum, Ostrogiensium ad Nationem Russicam 1629. Leopoli in 4to lingua Polona.

Parenesis vel exhortatio ad Sacerdotes, qui Vilnæ in Monasterio S. Spiritus degunt, ad totum populum Nationis Russicæ facta 12. Decembris, anno 1629. Lingua Polona Impressum Cracoviæ 1630.

Epistola a Meletio Smotrzycki ad Cyrillum Patriarcham Constantinopolitanum 21. Aug. 1627. scripta. Catechesis Catholicæ fidei.

Palinodia Lamenti.

Pro unione adhuc scripserunt.

Joachimus Morochovius, Episcopus Vlodomiriensis unitus, contra Lamentum.

Petrus Skarga Soc. Jesu in Lamentum Theophili Orthologi admonitio. Cracoviæ 1610. in 4to.

Mattheus Bembus S. Jesu Invitationem conscripsit Nationis Russiæ ad Sanctam Ecclesiæ unionem.

a. Niesiecius T. III. p. 619.

dignitatem magna pecunia sibi a Turcorum Jmperatore comparaverat, & ab eo in Moscoviam missus fuerat, ut Moscos contra Polonos excitaret, in regressu suo Kioviæ ad hanc dignitatem fuerat consecratus. Non sufficiebat Schisma, sed adhuc rebellio sequebatur, Græci enim, quorum Duces & Capita, dictus modo Pseudo Metropolita, Smotricius, Pseudo Archiepiscopus Polocensis, & Mohila Archimandrita monasterii Pieczarscensis erant, expulsis Sacerdotibus unitis, bona eorum invadebant, & in eorum locum alios Ritus Græci substituebant. Rex Sigismundus III. auditis his turbis, hos Pseudo Episcopos lege publica ex Regno suo proscripsit & infames declaravit, omnesque eorum adhærentes criminis læsæ Maiestatis reos esse voluit. Et hoc optatum non habuit effectum, sed Græcorum animos adhuc magis magisque exacerbavit, & in hunc furorem adduxit, ut in publicam rebellionem erumperent. Gregorius Grecovicius, Rutscii Metropolitæ, Vicarius Generalis, ab eis in Boristhene fuit submersus, multi unitorum sacerdotes, hic inde interfecti, & Beatus Josaphat Kuncevicius misere trucidatus. Urbanus VIII. Summus tunc temporis Pontifex, certior de hac morte violenta factus, Joannem Babtistam, Episcopum Nolanum in Poloniam misit, qui Regem, Episcopos, Regnique Proceres eo adducere debebat, ut Schismaticorum progressibus omni vi se opponerent, & Theophanem Pseudo Patriarcham e Statibus suis expellerent. *a.*

Palatini Kiovienses erant:

Andreas Sapieha.

Stanislaus Zolkievius.

a. Okolscius in Ordine & Numero p. 349. – 347. Niesiecius T. III. 912.

XVIII. BOGUSLAUS Boxa a Siemikowice Radoszovius, Armorum Oksza.

Hic ex antiqua familia, celsa meritis, clara fortitudine, insignis Religione, ex Bohemia, ubi iam sæculo nono, post Christum natum floruit, in Poloniam perventa, est ortus. *a.* In Iuventute, omni cura educatus, litterarum peritia, humanitate, dexteritateque rerum in Republica obvenientium clarissimus evasit, unde a Regibus adamatus, dignissima meritorum suorum præmia, a Rege Sigismundo III. retulit. Primum fuit Præpositus Calisiensis postea 1618. Abbas Sanctæ Crucis in Monte Calvo, tandem hoc ipso adhuc anno, Principis Clementissimi designatione, Episcopus Kioviensis est factus. *b.*

Fidem

a. Okolscius in Orbe Polono, sub hoc stemmate, Paprocius in Chronica Bohemica sub hoc nomine.
b. Nakielscius in Michovia p. 865. Ioannes Dąbrowski *Camœnæ Borysthenides* seu gratulatio ad felicem in Episcopalem sedem Chiovienſem ingressum.

Fidem trans & citra Boryſthenem auxit & promovit, & ad maiorem nominis Chriſti & fidei propagationem Patres Societatis Ieſu Kioviam introduxit, qui vero ob maiorem ſecuritatem conſultius putabant, in oppido Epiſcopali Chwaſtovia fundare ſibi ſedem. Quia vero Pereaslaviæ & Novogrodi in Severia deinde firmarunt loca, poſt Socolovii, Kievienſis Epiſcopi deceſſum, iterum Kioviæ Collegium fundare cœperunt. Erexerant 1632. Eccleſiam Chwaſtoviæ & oppidum hocce Fauſtoviam vocitabant, licet ligneam, tamen decentem, & obtenta ex bonis Epiſcopalibus ſuſtentatione & Scholam ibi fundabant. *a.*

Cathedralem Eccleſiam Præſul noſter egregie ornavit. *b.* Duplici Collegio Sacerdotum, altero Prælatorum & Canonicorum, altero duodecim Vicariorum eam inſtruxit, Miniſtros Eccleſiæ fundatione firmavit, areas pro habitationibus tam perſonarum Capitularium, quam Vicariorum & Miniſtrorum penes Eccleſiam exdiviſit. Templa Religioſorum Kioviæ, Chwaſtoviæ, aliisque in locis fundavit. Quod vero Anno 1626. Cathedram Kiovienſem erexerit, ſicut Orlovius dicit, & hanc erectionem ex libro erectionum Eccleſiæ Cathedralis & Collegiatarum Diœceſis Cracovienſis deducere vult, veritati repugnat, quia dicta modo Cathedralis Eccleſia, ab anteceſſore ſuo, funditus ex lapidibus erat exſtructa. Okolſcius quoque, qui eius tempore vixit, de hoc nihil dicit. Per largas & amplas ſuas fundationes, quas hinc & inde fecit, bonis, ad menſam Epiſcopalem ſpectantibus, iniurioſus fuit. *c.* Omnia tamen quæcunque fundavit, fecit & ordinavit, accreſcente Schiſmate, ita ſunt ſuppreſſa, ut vix eorum memoria in ſcripto remanſerit. Anno 1633. Præſul ille optimus ad Epiſcopatum Luceorienſem fuit nominatus, quem anno ſequenti adiit. In Abbatia quoque Sanctæ Crucis, ubi & ſepeliri voluit, ornamenta circa Altaria, ipſa quoque Altaria, aliaque pietatis opera nomen ipſius perenne celebrabunt, & quia vir erat magni iudicii & conſilii, prudens & gravis, Januſius, Dux Oſtrogius, Caſtellanus Cracovienſis eum inter tutores bonorum relictorum elegit, ſicut ex litteris Ordinationis patet, *d.*

Anno denique 1638. Magnus iſte Epiſcopus, Ianoviæ hydrope confectus pie & placide obiit.

In Ruſſia cum Schiſmaticis adhuc magnæ erant turbæ, Rutſcius, qui Metropoliam Kiovienſem hucusque occupaverat ad

 eas

a. Okolſcius in Numero & Ordine p. 28.
b. Okolſcius in orbe Polono ſub armis Okſza.
c. Okolſcius in Numero & Ordine l. c.
d. Orlovius in Vindiciis p. 94. Ordinationis acta. Nakielſcius in Michovia p. 865. Okolſcius l. c.

eas componendas nihil prætermiſit. Mors vero indigna Beati Joſaphati, Polocenſium Archiepiſcopi, anno 1623. Vitepſcii facta, omnium animos concitaverat.

Rex igitur iuſta ira incenſus, ſuos denominavit Commiſſarios, qui cauſam huius homicidii inquirerent, & reos ultimo afficerent ſupplicio, multi igitur Cives Vitepſcenſes & Polocenſes criminis convicti, vel huic rei implicati, ſevere ſunt puniti. Vrbs ipſa Jurisdictione ſua, omnibusque Privilegiis privata, in pagum fuit redacta, Sola arce cum iurisdictione Regia relicta, curia publica deſtructa, omnes Campanæ turribus ablatæ, ex quibus in uſum Cathedræ nova eſſet fundenda, in qua tota hiſtoria inſculpta, huius indignæ actionis memoriam, ad Poſteros transferret, omniaque alia templa in perpetuum Campanis privatæ manerent. Conſilio Metropolitæ, multorumque Epiſcoporum, Rex eo fuit adductus, ut ad opprimendos Schiſmaticos, nullus eorum amplius in ſenatum adſumeretur, eisque fuit interdictum, ne Vilnæ Eccleſias exſtruerent. *a.*

Schiſmatici tunc temporis Metropolitam habebant, Borecium, hominem aſtutum & potentem. Ad unitos redierat, ſed data occaſione, ad Schiſmaticos revertit, Eccleſiamque eſt perſecutus.

Anno 1628. Kioviæ convocaverat ſynodum, in qua de unione tractare volebant, Smotricius ibi in magno vitæ verſabatur periculo, & mortem non evitaſſet, niſi certas ſubſcripſiſſet propoſitiones, inter quas præcipuæ erant.

1.) Se nunquam amplius Eccleſiam Græcam, ſcriptis vel verbis turbare velle.

2.) E Suggeſto revocare apologiam ſuam cæteraque ſcripta, contra Eccleſiam Græcam publicata,

3.) Nunquam Dermanum redire, ſed Kioviæ manere.

Tandem Borecius Coſacos contra unitos excitavit, magna inde ſanguinis effuſio eſt orta, quæ horum hominum licentia, ſeverior crudeliorque eſt facta, ut denique exercitus Ducum prudentia bello ſuffocari vix potuerit. *b.*

Poſt hæc ſæpe iam dictus Meletius Smotricius, anno 1629. Synodum Leopolim convocavit, ad quam Græcos, quos de vera fide Eccleſiæ Romanæ, convincere volebat, invitaverat. Rex hac de re certior factus, omnibus ſecuritatem promiſit. Adamum Kiſielium, Succamerarium Czerniechovienſem

a. Curſus vitæ, & certamen Martyrii B. Joſaphat Kuncevicii. Archiepiſcop. Polocenſis a Jacobo Suſza, Epiſcopo Chelm: & Belzenſi cum S. R. E. unito publicatus. Jſakowicz libr. III. de nece Kuncevicii.

b. Vita Smotricii, ex ſcriptis eius collecta in Journal litteraire de Pologne T. II. Art. XIIX.

ensem designavit, qui suo nomine synodo assisteret. Uniti magno numero confluebant. Velaminus Rutscius, Metropolita Kioviensis, Antonius Sielawa, Archiepiscopus Smolenscensis, Joachimus Morochovius, Episcopus Vlodimiriensis, Jeremias Poczopovius, Episcopus Luceoriensis, Athanasius Kopecius, Episcopus Premysliensis cum numeroso Clero iam ante tempus constitutum, eo se contulerant. Cyrillus, Constantinopolitanus Patriarcha Præsidem ibi agebat, quia vero Lutheri & Calvini dogmatibus erat infectus, & pauci tantum Clerici Schismaticorum ad hanc synodum veniebant, ea nullum habuit effectum, & Rutscius postquam Schismaticorum Episcopos, iterum iterumque per certos nuntios invitaverat, nemo tamen eorum advenerat, facta protestatione, de eorum pertinacia, Synodum solvere fuit coactus. *a.*

Palatini Kiovienses erant:

Thomas Zamoscius.
Alexander Dux in Zaslaw.
Stephanus Chmielecius.

a. Orlovius in Vindiciis p. 276. Vita Smotricii in Journal litteraire T. II. Articulo XIIX.

XIX. ANDREAS Comes in Szołdry, Szołdrscius de Gente Navitarum.

In Districtu Costensi, Palatinatus Posnaniensis, bona sunt Szołdry, a quibus gens ista magnis in Rempublicam meritis clara, familiæ suæ appellationem traxit.

Andreas noster, a prima statim iuventute domi bene erat educatus, postea exteras perlustavit regiones, & Romæ summo honore & fructu sua absolvit studia. In Patriam redux, inter Sigismundi III. Aulicos fuit receptus, & postea ad varias ascendit dignitates.

Rex enim Sigismundus III. magnum in eo videns iudicium, dexteritatem summam, morumque gravitatem singularem, Principis sui Vladislai Secretarium eum nominavit, & paulo post & Cancellarii dignitate decoravit. Cui quoque variis in casibus difficillimis, præcipue vero ad Smolenscum & Chocimum, consilio suo adfuit. Magnæ postea in eum collatæ sunt Prælaturæ, nam non tantum Præpositus Gnesnensis, Posnaniensis & Cruszvicienfis Cantor est factus, sed etiam Cracoviensis Prælatus Decanus Loviciensis & Scholasticus Lenciciensis, quin immo & Coadiutor, Abbatiæ Sulejoviensis fuit designatus *a.* His ornatus dignitatibus, tribus vicibus in Tribunali Regni iudicis deputati munere est functus. *b.* Anno 1633. Regis benignitate

a. Orlovius in Vindiciis p. 95.
Okolscius in ordine & Numero Chioviensium Episcoporum p. 36.
b. Constitutio anni 1627. fol. 8. & 1631 fol. 40.

nignitate Episcopus Kioviensis fuit denominatus, & pro Regio Principe Joanne Alberto Cracoviensem Episcopatum uno eodemque tempore administravit, cum quo postea iter Romam est adgressus, & corpus eius anno 1634. Patavii mortuum in Poloniam reduxit. *a.* Ob gravia Principis negotia, Cathedram suam saepe visitare non potuit. Episcopatus tamen suus ei carus cordique fuit, quem & florentem indies fieri enixe desideravit.

Hinc Clerus Cathedrae ab ipso promotus, Ecclesiae Dioecesis auctae, religiosorum Ordinis Sancti Dominici coenobia multiplicata, caeteraque optimi pastoris & Praesulis non defuerunt studia. Et si praesens suae fuisset Cathedrae, vel longius eam occupasset, Ecclesiae Romanae Religionem adhuc magis promovisset.

Ardor enim ipsius, qui in caeteris Episcopatibus pius & frequens fuit, etiam in Cathedra Kioviensi clarus extitisset. *b.* Anno 1636. ad Episcopatum Premisliensem, sequenti vero ad Posnaniensem fuit assumtus. In quo Ecclesiam Cathedralem, igne combustam, exstruxit, & omni necessario, ornatu: nimirum organis, picturis, altaribus, apparatu, vasis aureis & argenteis decoravit.

Capituli proventus bonis suis haereditariis auxit, & ut paucis dicam, maiora & plura in Cathedralem hanc contulit bona, quam omnes eius antecessores. Academiae decem florenorum millia adscripsit. Continuis tandem defatigatus laboribus paralysi tactus, anno 1650. aetatis vero 67. diem obiit supremum, & in sua Cathedrali magnifice fuit sepultus, ubi adhuc epitaphium tali Praesule dignum, visitur. *c.*

Sic virtus ingenio celsos, iudicio insignes, moribus stabiles, pietate celebres, & exemplo bono praeeuntes promovet, & honoribus auget.

Jam ante ad sedem Episcopalem promotionem, Reipublicae nomine in Severiam & Russiam albam, ut ibi cum Moscis tractaret, fuit missus, cum Kioviam usque iter faceret, & hanc urbem a porta veteris Kioviae, quae ad auream portam spectat, magna attentione esset contemplatus, in haec tandem erupit verba: Vidi Civitatem Kioviam, opinione celeberrimam, re vero nullam. Sic transit gloria mundi, fiunt Reges servi, subditi Domini, civitates tuguria. *d.*

Metropolita Kioviensis unitus adhuc erat saepe iam laudatus

datus

a. Constitutio anni 1633. Niesiecius T. IV. p. 281. 282.
b. Okolscius l. c.
c. Historia Collegii Premisliensis. Treteri Vita Episcoporum Posnaniensium. Okolscius l. c.
d. Okolscius, l. c.

datus Velaminus Rutſcius. Græcorum vero Borecius. Palatinus Kiovienſis Joannes Tyſzkievicius.

XX. ALEXANDER de Magna Wronca Socolovius, Armorum Pomian:

Hic a prima iuventute ſumma cura ac diligentia fuit educatus, caſu quodam poſtea accidit, ut electis armis ſub Chodkievicio in Moſcovia cum laude & honore militaret. *a*. Relicto paulo poſt hoc vitæ genere, libros reſumſit, & Theologiam tractavit, adeo ut eximius Eccleſiaſtes optimusque ſit factus Theologus. Patres Societatis Jeſu, quorum conſilio & ductu ſtatum Eccleſiaſticum erat amplexus, ſemper ſummo proſequutus eſt amore & honore. Eorum vitæ genus ſibi quoque elegerat, amicorum tamen ſuaſu, ordinem hunc iterum reliquit. Eius tamen commendatione ad varias fuit promotus dignitates. Ex Gneſnenſi enim & Poſnanienſi Canonico, Præpoſitus Narvenſis, deinde Aſſiſtens in Capella Sanctiſſimi Papæ Urbani VIII. porro Abbas Tremeſnenſis eſt factus. Tandem Regis voluntate Kiovienſium Antiſtes anno 1636. fuit deſignatus, & quia Romæ Regis & Reipublicæ nomine, Legatum agebat, ibi eodem adhuc anno, a Patre Purpurato, Sanctocratio, in Domo Profeſſa Soc: Jeſu, ſolenniter fuit conſecratus. *b*. Deinde variis negotiis fuit adhibitus Anno 1638. a Republica erat delegatus, ut Palatinatuum Kiovienſis & Czerniechovienſis, qui pace facta Polonis ceſſerant, fines, cum Moſcis conſtitueret. *c*. In Synodo Varſavienſi, anno 1643. habita, Lubinſcii, Archiepiſcopi Gneſnenſis, Regnique Primatis, ſententiam pro diſciplina Eccleſiaſtica conſervanda, deciſisque a Religioſis de bonis terreſtribus nuper acquiſitis, ex antiquo Parochis, animarum curam habentibus, debitis, more ſolito ſolvendis, fortiter ſuſtinuit. *d*.

Cathedræ Kiovienſi valde quoque utilis fuit, bona enim Eccleſiæ per Anteceſſores ſuos alienata, recuperavit.

Prælatos Cathedræ ordinavit, fratres Minores de obſervantia, quos vulgo Bernardinos appellamus, bonis collatis, a Menſa Epiſcopali, Patribusque Societatis Jeſu reſumptis, Chwaſtoviam & Kioviam introduxit. Diœceſim ordinavit, & homines doctos coluit. *d*.

Et quia, eo in Epiſcopatu ſedente, Czerniechovienſis Ducatus, a Moſcis recuperatus, Regno iterum fuerat adiunctus, in Palatinatumque redactus, merito ex eo tempore, Kiovienſium

a. Okolſcius in Ordine & numero p. 30.
b. Nieſiecius Tom. IV. p. 160.
c. Conſtitutio huius anni fol. 21.
d. Nieſiecius l. c.
e. Okolſcius in ordine & Numero p. 30. Orlovius in Vindiciis p. 96.

fium & Czerniechovienfium Epifcopus fuit nominatus. In multis uariisque, quæ cum Mofcis tractavit negotiis, Regis authoritatem mafcule fuftinuit, Patriæque limites acerrime defendit. Cum Regni Exercitus, Stanislao Potocio & Principe Vifniovecio Ducibus, rebelles Cofacos poft cladem ad Kumeyki, confurgentes, atque ad novum tumultum a Schifmaticis animatos, oramque Kiovienfem vaftantes, diverfis in locis compefceret, & arma cum illis confereret, ille, collecto milite, eorum fubfidia retardavit, atque protervos confecit. Senator erat prudens, Paftor optimus, qui fæpe Cathedræ fuæ adfuit, affabilis bonis, terribilis malignis, Schifmaticis fine refpectu inimicus, Catholicorum bonum quaerens, fidem cis & trans Boryfthenem plantare ftuduit. Religiofis aliquando gravis, aliquando lenis, ceu paftor bonus, gregis fuæ bonum femper quæfivit. *a.*

Pro Collegio Patrum Soc: Jefu, qui fub finem vitæ fuæ Kioviam redierant, magnas fummas deftinaverat, fed voluntas hæc pia, effectu caruit. Bilis intemperantia anno 1645. in Abbatia Tremefnenfi mundo fuit ereptus, qui longiorem vitam meruiffet. *b.* Naramovius eum in Facie Rer: Sarmaticarum omifit.

Sub eo Metropolita Kiovienfis Rutfcius Anno 1637. die 17. Martii ætate provectus, magno Ecclefiæ dolore obiit, ob varios multosque labores, quos pro Ecclefia fuftinuit, ab Urbano VIII. fummo Pontifice: Unionis Atlas, Ecclefiæ columna, & Ruffiæ Athanafius fuit appellatus. Jobo Borecio, Antimetropolitæ Kiovienfi, mafcule fe oppofuit, & quoad vixit, dignitatem fuam cum honore fuftinuit.

In eius locum fubftitutus fuit Raphaël Korfak, qui in novo Antimetropolita, Petro Mohyla, Walachiæ Palatini filio, qui, Vladislao Rege clam favente, ad hanc dignitatem pervenerat, aftutum & fortem expertus eft inimicum. Non folum enim Cathedram duntaxat antiquam Sanctæ Sophiæ occupavit, fed & unitorum Metropolitam Kiovia expulit, & ex eo tempore Metropolitæ Ritus Vniti, nullam fecuram amplius Kioviæ habuerunt fedem. In Religione erat, ficut Borecius, inconftans & varius. Græcus natus, Anno 1626 fpe obtinendi munus Archimandritæ Monafterii Pieczarenfis, & invidia erga Borecium ductus, quem Metropolitam videbat, pro unione fe declaravit, poftea tamen iterum ad Schifmaticos rediit. Cum Metropolita effet, ab initio unionem fimulavit, publicis in plateis

Cruci-

a. Okolfcius & Orlovius l. c.
b. Niefiecius l. c.

Crucifixi imaginem expoſuit, Regis Vladislai permiſſione Academiam Kioviæ erexit & Politiem Græco-Catholicam introduxit, Giſeliumque Rectorem eius conſtituit, ſed quia Profeſſorum plurimi, Calvini ſecta erant infecti, hanc doctrinam & ibi clam docebant.

Korſak, Unitorum Metropolita, mœrore confectus, non diu Cathedræ præfuit, & Anaſtaſius Sielava, in eius locum denominatus, a ſummo quoque Pontifice fuit confirmatus. Palatini Kiovienſes tum erant. Adam Kiſiel & Stanisl: Potocki. Eius Epiſtolæ ſtatum Eccleſiaſticum Ruthenicum illuſtrantes, ut & Hypatii Pocey, Joſephi Rutski &c. conſervantur in Bibliotheca Zaluſciana. *a*.

a. Orlovius in Vindiciis p. 62. 178. 179. 345.–351

XXI. NICOLAUS Dunin-Suligoſtovius, de gente Cygnorum, ſeu Labęciorum.

Hic multa virtutis heroicique animi ad latus Principis edidit documenta, quæ ad amplos honores in Republica ſuſcipiendos viam illi præſtruerunt, & principis conciliarunt affectum Hinc multis titulis Eccleſiaſticis cohoneſtatus, Canonicus Gneſnenſis, & Lovicienſis, Præpoſitus Drzevicenſis, & anno 1642. Abbas Przementenſis eſt factus. Iam antea, Regis Vladislai nominatione, ei datum erat Monaſterium Obercenſe Ciſtercienſis Ordinis, Diœceſis Poſnanienſis; Demum legatione a Sereniſſimo Vladislao IV. ad Imperatorem pro Cecilia Renata feliciter & ad votum peracta, ab hoc Principe Kiovienſis Epiſcopus fuit deſignatus. Sed cum ſedes Apoſtolica de eius promotione conſuleretur, atque confirmatio poſtularetur, variæ difficultates obveniebant, & inimicorum potentia res eo pervenit, ut Infulæ Epiſcopalis alteri imponeretur, Nicolaus vero noſter, paulo poſt animi mœrore fuit exſtinctus.

Quia igitur confirmationem a ſummo Pontifice non accepit, nec Nieſiecius, nec Orlovius, eum in Epiſcoporum numerum retulerunt, immerito tamen, quia obſtacula, niſi morte eſſet præventus, adhuc levari potuiſſent. Okolſcius tamen tanquam teſtis oculatus, hæc bene ſcire potuit, & locum illi aſſignavit ſuum.

a. In Ordine & Numero Epiſcopor. Kiov: p. Lir. G.G.

XXII. STANISLAUS Kalinovius, de Armis Zaremba.

Kalinoviorum gens, ex Gedeone militiæ contra Ruſſos Duce, originem habens, in noſtro Stanislao, novum acepit lumen. A Martino, Grabovecenſi Capitaneo, & Barbara, Minſcii, Pro-Cancellarii Regni filia progenitus, iuventutis annos in di-

versis Academiis patriis & externis, non sine fructu consumsit, Ideoque ad sagum & Togam, militari & litteraria disciplina dignum aptumque se demonstravit, virtutis suæ specimina diversis in expeditionibus edidit. In bello enim Turcico contra Osmannum ad Chocimum gesto, proprio sumptu militem aluit, & contra Gustavum Suecorum Regem eum postea in Prussiam duxit, remque ibi fortiter, egit. Inde a Serenissimo Rege in præmium meritorum, ut & promti audacisque animi signum, Capitaneatu Grabovecensi, fuit donatus. *a.*

Deinde tamen corporis infirmitate adductus, religiosam vitam amplecti instituit, & Capitaneatum, Rege annuente, fratri suo cessit. *b.*

Vladislaus Rex, dum ad Moscoviticum bellum se pararet, Stanislaum nostrum, multis expeditionibus clarum, Comitem sibi esse voluit. Qui Regi voluntati obediens, alacer & paratus, uti erat, Regi utraque militia, spirituali in devotione, sæculari in consiliis, non defuit, sed vividum vigilemque militem ubique se ostendit. *c.*

Rex igitur virtutis pietatisque iustus retributor, Abbatiam Suleioviensem ei obtulit. Quo in munere, dum Ecclesiæ utilis, religioni devinctus, aulæque Regiæ observantissimus exstitit, in ulterioris beneficii monumentum, Anno 1646. a Rege Kioviensium Antistes fuit denominatus. In nova sua hac dignitate, omnem laborem adhibuit, ut Schismaticorum audaciam compesceret, & quo eo facilius ad hoc perveniret, Missionariorum auxilio & assistentia est usus. Cosacorum vero rebellio & turbæ intestinæ, piæ suæ intentioni, magno erant obstaculo, id quod eum adeo adflixit, ut paucos post annos, anno nimirum 1648. vitam cum morte mutare cogeretur. *d.*

Huic dignissimo Præsuli, Simon Okolscius, Sacræ Theologiæ Magister, Tysmienicensis Prior, Ordinis Prædicatorum Provinciæ Russiæ, libellum de Kioviensium & Czerniechoviensium Episcopis conscriptum, & anno 1645. Leopoli impressum, dedicavit.

Inter Schismaticos, & unitos adhuc nulla erat pax, & Cosacorum rebellio, Chmielnicio autore orta, eos adhuc audaciores reddebat, multæ igitur cædes impune committebantur, & Uniti cuiuscunque erant ordinis vel status, ultimis suppliciis afficiebantur. Rex

a. Okolscius in Ordine & Numero p. 31
Niesiecius T. IV. p. 686.
b. Okolscius l. c.
c. Porządek Eleckcyi f. 21.
d. Orlovius in Vindiciis p. 97.

Rex Uladislaus animadvertens, maius esse periculum, quam ipse crediderat, ut eos compesceret, & ad unionem reduceret, Synodum convocandam statuit, sed morte fuit impeditus. His turbis durantibus Metropolita Anastasius Sielawa obiit. Palatinus Kioviensis erat Joannes Zamoyski. *a.*

a. Orlovius l. c. p. 351. 352.

XXIII. JOANNES Comes in Lefzno, Lescinius, de Armis Wieniawa.

Joannes Lescinius, a Venceslao, Regni Cancellario, Regis STANISLAI Reginæ Galliarum Patris, Abavo, prognatus, in iuventute cum fratre Raphaele, Collegium Patrum Societatis Jesu, quod Calisii floret, frequentavit. Illorum vitæ genus ei sic placuit, ut animo constituisset, eorum instituta amplecti, patre vero abnuente, coactus fuit, propositum suum mutare. Impedire tamen haud potuit, quo minus statum ecclesiasticum sibi eligeret, *a.* Post varias dignitates, Abbas Paradisiensis est factus, & paulo post Regis nominatione, Episcopus Kioviensis fuit designatus. *b.*

In hoc suo munere omni cura studuit, ut Diœcesin in meliorem redigeret statum, hanc ob causam regimen eius fuit sollicitum & omni laude dignum.

Ob zelum boni publici, a Rege valde amabatur, & ab eo, anno 1656. ad Culmensem Episcopatum fuit translatus, quo titulo, eodem adhuc anno, subscripsit acta de restitutione Vasorum argenteorum ablatorum. *c.* Paulo post a Rege Casimiro Ratisbonam ad Comitia Imperii fuit missus, ubi pro Rege suo fortiter egit. *d.*

Anno vero insequenti inopinata morte decesit, cum altiores dignitates iam ei erant decretæ.

Sanctus hic plane erat Præsul, magnarum typus virtutum, pro bono publico magnus zelotes.

Post Sielawæ Metropolitæ Kioviensis mortem, Sylvester Kossovius, Episcopus primum Mscislaviensis, Orszensis, & Mohiloviensis, postea Archiepiscopus Polocensis in eius locum fuit substitutus, erat vir probus & doctus, conscripsit librum *o Pieczarach Kiiowskich*, vel de Cryptis Kioviensibus, qui prior prodiit, quam *Herbinii* Religiosæ Kiovienses Cryptæ, seu Kiovia subterranea, anno 1675. Jenæ impressa. Multa pro Religione laboravit, sed parvo successu, Rebellio enim Cosaccorum, quam Capita Schismaticorum fovebant, sub Casimiro indies crescebat, & licet, post nonnullas victorias, quas Poloni

a. Niesiecius T. III. p. 88.
b. Margon: Capitolium & Panegyricus Collegii Calisiensis sub titulo Honoris honos.
c. Okolscius l. c. Historia Collegii Cracoviensis, fol. 827.
d. Steczevicius in dedicatione conclusion: ex Iurisprudentia.

Poloni de Cosacis reportabant, Pacta Zborovienſia ſubſequerentur, nulla tamen pax erat firma & ſtabilis, & multi nobiles, ad bona ſua in Ukrainam & Severiam redeuntes, a ſubditis Schiſmaticis, qui omnem obedientiam eis recuſabant, interficiebantur.

Rex Anno 1650. Regni ſui ſtatus ad nova Comitia convocabat. quibus Chmielnicius, qui Tartaris ſe ſubiecerat, libellum ſupplicem præſentavit, duriſſimas has in ſe continentem prætenſiones.

Prima erat, ut unio ex tota Ruſſia abrogaretur. Secunda, ut omnes Eccleſiaſtici Ritus Latini, e Ruſſia exularent. Tertia, ut Nobiles, unionem profitentes, ex Ruſſia in Poloniam ſe conferrent, & plures eiusmodi argumenti, quas ſi non acceptarent, pacta Zborovienſia invalida declaravit.

Expeditio igitur generalis fuit decreta, & Rex, Deo auxiliante, Tartaros & Coſacos anno 1651. 30. Iulii prope Beresteciuim, memorabili victoria vicit, eaque animatus, omnia puncta, quæ in Pactis Zborovienſibus in Schiſmaticorum favorem erant conſtituta, revocavit & annihilavit, anteceſſorum vero Privilegia Unitis conceſſa, confirmavit.

Chmielnicius hac de re certior factus, maiori ira fuit incenſus, & vindictæ cupiditate percitus, Palatini Moldaviæ amicitiam, quærebat, ad eamque ſolidius ſtabiliendam, filio ſuo Tymoſio, Palatini filiam matrimonio iungit. Collectis igitur magnis copiis, Polonos prope Batoviam adgreſſus, magnam in Polonorum exercitu edidit ſtragem. Poſtea vero Poloni ad Szocaviam & Nieſiolovam victores erant. Tartari, fœdere cum Chmielnicio iuncti, his pugnis quidem aderant, ſtatim tamen redierunt, & in regreſſu omnia vaſtarunt, multaque millia Chriſtianorum in duriſſimam ſecum duxerunt ſervitutem. Chmielnicius hac re offenſus, fœdera cum Turcis & Tartaris rumpit, & novum cum Moſcis pangit, vigore cuius, fidelitatis iuramento præſtito, eis Ucrainam, Kioviam, Czerniechoviamque ceſſit. His peractis, Legatus Moſcorum in Poloniam venit. & inter alia puncta, ſequentia publice expoſuit, 1.) Ut unio inter Græcos & Romanos tolleretur, 2.) Ut Chmielnicio omnia condonarentur, 3.) Smolenſcium & cæteræ Provinciæ, a Vladislao occupatæ, redderentur. Et quia reſponſum a parte Polonorum differebatur, Ruſſorum Monarcha anno 1654. ingentes copias mittit, & loca munita a Chmielnico tradita, milite firmat. Poloni e ſomno excitati, parva manu ſe eis opponunt. In Lithuania tamen 700. Equites, in Ruſſorum Exercitus partem inopinate

inci-

incidentes victoriam obtinent, castrisque potiuntur. Radivilius Princeps, cum decem circiter millibus Lithuanorum, centum Russorum millia ad Szklowam dispersit, & in Ukraina Poloni prope Ochmatoviam de Chmielnicio victoriam reportarunt. Palatinus Kioviensis tum erat, Adamus Kisielius.

XXIV. Thomas de Rupniew. Vieyscius, Armorum Druzyna.

A Patre Stanislao, Judicii Castrensis Sandecensis Notario, domi bene fuit educatus, & primis humanitatis studiis positis, Collegia Societatis Jesu frequentavit, ibique altiora adgressus est studia. Eorum vitæ genere valde delectabatur, ordinis huius instituta amplecti, animo iam constituerat, sed Lancicius, magnum huius Ordinis tunc temporis lumen, alias ei inspirabat cogitationes, spiritu enim prophetico inflatus, dixit, hanc suam intentionem, ad effectum perduci prius non posse, quam post bene administratum Episcopatum *a*. Rerum cognitione & prudentia sua multos sibi paravit amicos, quorum promotione, primum Præposituram & Canonicatum Varmiensem obtinuit, anno deinde 1649. Abbas Plocensis fuit denominatus, post anno 1653. Custos Gnesnensis, tandem vero, post Leszcinii in Cathedram Culmensem ascensum, anno 1657, Episcopus Kioviensis, Regis nominatione, fuit designatus.

Vir erat summi iudicii, adeo, ut prudentissimus temporis sui Senator, & zelosissimus haberetur pastor, Reipublicæ difficillimis temporibus consilio suo adfuit, & magna sua, qua pollebat eloquentia, animos turbulentos ad meliorem mentem revocavit. In officio suo omnem lapidem movit, ut Schismaticos cum Sancta Romana Ecclesia uniret. Mirabili vitæ clarebat integritate, & ipsi a fide Romana Catholica dissentientes hoc illi dederunt testimonium. Si omnes Episcopi & Romanæ Ecclesiæ Sacerdotes tales essent, qualis Uieyscius, longe facilius Dissidentes ad eorum dogmata amplectenda, perducerentur. Non tantum sermonibus, quos sæpe ad populum habebat, sed adhuc magis virtutibus, & pia sua vita ædificabat. Varia proprio sumptu fundavit Xenodochia, erat pauperum pater, & Viduarum tutor. Patres Societatis Jesu semper maximo prosecutus est amore.

Pro Collegio Vilnensi tam multum destinavit pecuniæ, quantum ad eius fundationem requirebatur. Sendomiriæ seminarium fundavit & 30000. flor: pro hac fundatione exsolvit. Tandem remotis obstaculis, honoribus Ecclesiasticis, Kioviensique Episcopatu, cui 20. annos præfuerat, sese abdicavit, &

R) anno

a. Niesiecius Tom. IV. p. 434.

anno 1677. Societatem Jesu est ingressus, Post primum Novitiatus sui annum, Domum Professam, quæ Vilnæ est, per quinquennium summa laude] rexit, & anno 1689. ætatis suæ vero 76. in eadem Societate, non sine sanctitatis opinione, est mortuus, quæ tale Epithaphium ei posuit.

D. O. M.

P. Thomas Vieyski, e Societate Jesu Professus, Hac urna clauditur.

Is aliquando Jllustrissimus & Reverendissimus Episcopus Kioviensis & Czerniechoviensis, Tribus Serenissimis Poloniæ Regibus, Joanni Casimiro, Michaëli & Joanni III. ob eximiam virtutem, rectam sentiendi gravitatem, miram in expediendis difficillimis negotiis dexteritatem charissimus, in ipsis gratiarum ac ultro sese ingerentium honorum occasionibus, caduca pertæsus, cupidus æternorum, magnis moliminibus ac multorum annorum apud Sanctam Apostolicam Sedem conatu, rarissimo exemplo, depositis Infulis, societatem Jesu amplexus, altero probationis anno, quatuor vota professus, paulo post domui Professæ Vilnensi' Præpositus, summa prudentiæ & suavitatis laude, illam quinquennio rexit, sed cum tempus resolutionis suæ instare persentisceret, quo expeditius æternis vacaret cogitationibus, ut etiam hanc Præfecturam exueret, magna contentione impetravit, obtenta missione, in domo probationis, totum se Deo, & animæ suæ componendis rationibus impendit, ubi, postquam unum exegit annum, cœlo maturus obiit. Vilnæ 1689. I. Aug: ætatis LXXVI. Societatis XII. anno.

Sub eo in Russia turbarum adhuc nullus erat finis. In locum Metropolitæ Kossovii anno 1664. successerat Anathasius Tckolscius. Mosci Lithuaniam iterum magnis copiis invaserunt, & fugatis Lithuanis Smolenscium totamque fere Russiam occuparunt, Poloni quoque a Cosacis ad Drzypole cladem sunt perpessi.

Post has victorias Moscus cum Suecis fœdus facit, Poloni vero, quibus fortuna erat adversa, Tartaros in auxilium vocant. Mosci Lithuaniam occupant, Sueci vero Poloniam. Etiam de Polonia actum fuisset, nisi Dei auxilium ex improviso adfuisset. Sueci enim variis præliis fuerunt victi, Russi vero ad Poloncam cladibus fracti.

Post varias, dubio Marte, pugnas, Russi legatos in Poloniam mittunt, qui pacem peterent, occupatas vero Provincias

a. Niesiecius T. IV. p, 434.
b. Niesiecius l. c. Orlovius in Vindiciis p. 98. Zaluscius in Epistol: T. I. p. 685.

cias reddere nolunt, & ſub unius Religionis prætextu, in Ukraina copias valde augmentant.

Rex Caſimirus anno 1663. 24. millia copiarum colligit, Tartarisque ſe iungit. Tranſmiſſo feliciter Boryſthene, loca, quæ Coſaci Ruſſis dederant, reoccupat, & anno ſequenti Ruſſiam intrat, victricique manu ad Severiam usque progreditur. Rege ibi morante, tres advolant Nuncii, primus a Ruſſorum Monarcha, qui pacem poſcit, alter ex Ucraina, referens, magnam ibi eſſe Coſacorum rebellionem, tertius ex Polonia, a parte Senatus, qui Regem rogabat, ut quantocius in Regnum ſuum rediret.

Dubio hoc rerum ſtatu, armiſtitium inter Moſcum & Regem in tres Menſes fuit decretum, & locus, Kraſne dictus, ad pacem concludendam, deſignatus. Interea Rex exercitus partem in Ruſſia reliquit, alteram in Ucrainam, Duce Sobieſcio, Regni Vexillifero, ad compeſcendos Coſacos miſit. Tertiam in Poloniam ſecum reduxit.

Copiæ in Ruſſia relictæ, profundius in Regionem intrant, & ad fluvium Siebieſz usque penetrant. Sobieſcius, Coſacos ad obedientiam redigere ſtudens, ab Anaſtaſio Tucholſcio, Kiovienſi Metropolita, qui Schiſmaticorum partes publice ſuſtinebat, & Georgio Chmielniczenko, Græcorum Monacho impeditur, hi enim Schiſmaticos ad maiores turbas incitabant, A Czarnecio tandem dolo capti, Regi in Poloniam mittuntur, ſed precibus Teteræ, Coſacorum Ducis, in libertatem denuo ſunt reſtituti. Palatini Kiovienſes tum erant. Stanislaus Potocius, Joannes Zamoſcius, Joannes Wyhowſcius, Stephanus Czarnecius, Michaël Stanislawski, & Andreas Potocius. *a.*

a. Orlovius in Vindiciis p. 359. 361. Uieyſcii vitam ſcripſit *Ioannes Brictius*, e Soc. Jeſu Polono Varmienſis, cuius inſcriptio: ſequens *Vita* THOMÆ UIEYSRI *ex Epiſcopo Kiovienſi Religioſi Soc: Jeſu, cum eius effigie*, ſumptu *Stanislai Vieyſki*, Decani Varmienſis, Brunsbergæ a. 1705. impreſſa, ad quam lectorem remittimus. Illuſtriſ. Excel. Dom. *Zaluſki*, hodiernus Epiſcopus Kiovienſis poſſidet aliquos huius ſui Prædeceſſoris codices M. S.S.

XXV. STANISLAUS Witvicius Armorum Sas.

Is in Palatinatu Ruſſiæ, nobili familia, nec inter ſuos populares ignota, eſt natus, quæ a pago iure hæreditario accepto, cognomen adſumſit. Cum omnes meliores litteras a prima adoleſcentia Lublini in Collegio Societatis Jeſu coluiſſet, easque partim Braunsbergæ, in frequentiſſimo Patrum Societatis Jeſu Collegio continuaſſet, Theologiæ & Iuri Canonico totum ſe dedit. Tandem occaſione ſe offerente, Pariſios excurrit, & finitis ſtudiis Theologicis, & Medicinæ atque Phyſicæ, ibi operam dedit, magnamque famam apud eruditos eſt adſecutus. *a.* Precibus Parentum in Patriam reverſus, ſtatim poſt ſuum adventum inter Canonicos Gneſnenſes fuit relatus,

a. Nieſiecius Tom: IV. p. 559.

deinde & Abbas Plocenſis eſt factus. Rex poſtea eum a ſecretis ſuis eſſe voluit, & cum oratore ſuo in Galliam & Daniam miſit. Omnia a Rege ſibi commiſſa ad eius voluntatem perfecit. Michaël, Caſimiri Succeſſor, perſpectis eius virtutibus animique dotibus, eum Legatum ſuum ad Archiducem Leopoldum Viennam ire iuſſit, ubi inter alia & Principis illius matrimonium cum Eleonora Auſtriaca propoſuit, & Regis nomine concluſit. Rex eum poſtea Cancellariæ Regni præfecit, & Præpoſitum Infulatum Olycenſem nominavit. Poſt Vieyſcii abdicationem, Kiovienſem Epiſcopatum, Regia nominatione, accepit. *a.* Sed non diu in Cathedra iſta ſedit. Anno enim 1679. (& non ſicut Nieſiecius & Orlovius volunt 1680.) Joannis III. favore, ad Luceorienſem fuit translatus, ibi Clericos in communi viventes introduxit, quos Reſpublica anno 1685. lege publica confirmavit. Hunc vero ille epiſcopatum anxie a Rege flagitavit, cuius ut gratiam ſibi conciliaret, orationem panegyricam in Eius laudem compoſuit, quam anno 1678. formis Leopolienſibus excudi curavit. Porro iam in hac dignitate conſtitutus, ex Senatus conſilio, cum Palatino Siradienſi Pieniążek, ad Cardinalem Pallavicinum fuit miſſus, queſturus de Cæſare & Venetis, quod non ſtarent promiſſis. *b.*

Anno 1686. Breſciæ in Lithuania Synodum Diœceſanam habuit, in qua multas & bonas leges pro Cathedra ſua conſtituit, ſimulque pro unione Eccleſiæ cum Schiſmaticis fortiter laboravit, eius quoque cura, quatuor Ritus Græci Epiſcopi cum Romana Eccleſia fuerunt iuncti. *c.*

Anno 1688. Epiſcopatum Poſnanienſem, poſt Stephani Wierzbovii obitum, artibus ſuis occupavit, ut ut fortiſſime Boguslaus Leſzcinius a Ruſſiæ Palatino, Jablonovio, & Raphaële Leſzcinio, Caliſienſi, prædicti fratre, ſuffultus, concurreret. Prævaluit enim hoc modo. Regi, quem lætum bonoque animo offenderat, ſuum exhibuit Teſtamentum, quo Regiam Domum hæredem ex aſſe declarabat. Poſtea vero contrarium patuit. Nam poſt illius mortem, non ſine Reginæ dolore, geminum repertum eſt, teſtamentum. *d.* Hac nova dignitate ornatus, Rex eum Commiſſarium ſuum nominavit, qui cum Electore Brandeburgico tractaret. In Comitiis Convocationis, poſt Joannis III. mortem, cum Nuncii Terreſtres de eligendo Mareſchalco fortiter diſputarent, poſt menſam Præſul noſter,

a. Nieſiecius l. c.
b. Conſtitutiones, Anni 1680. & 1685. Zaluski Epiſt: T. I. 709.
c. Nieſiecius l. c.
d. Zaluſcius in Epiſt: T. II. p. 1011.

ſter, an zelo, vel calore ſupervenit clero ſuo ſtipatus, qui accenſas faces præferebat, aqua benedicta has contentiones exſtincturus, ſed coactus fuit a primo limine, nullo obſervato reſpectu pro dignitate Epiſcopali, retrocedere. *a.* Anno demum 1697. morte fuit ereptus, & magnum apud multos deſiderium ſui reliquit, maiorem vero apud omnes reliquiſſet, niſi quibusdam vitiis, arrogantia nimirum & iactantia, ad ſtuporem laboraſſet.

Quod arrogantiæ vitio laboraverit, ex vanis titulis, quibus ſæpe eſt uſus, ob quos a Cardinale Primate fuit reprehenſus, quique ei publice fuerunt interdicti, cognoſci poteſt.

Nam cum Regis nomine eſſet deſignatus, ut Contractum Matrimonialem inter Principem Jacobum & Electoris Palatini, Joannis Wilhelmi, ſororem ſubſcriberet, inſtructioni ſuæ, anno 1690 per oblatam porrectæ, hos præfixit titulos. *Veniens perſonaliter ad Acta Reverendiſſimus Epiſcopus Poſnanienſis, e Primariis Regni Poloniæ Senatoribus & Principibus, nec non Princeps* Slupczcenſis & *Dux Krobenſis obtulit* &c. *b.* Deducebat ille Genealogiam ſuam a Regibus Hiſpaniæ, a quibus ſe directa linea deſcendere aſſerebat, quod tempore Gothorum Vitiges quiſpiam, alias Vitiza & Vitiva ibi regnaſſet, alter etiam Romam oppugnaſſet, unde nomen Vitvic eſſe ortum & in ſigillo ſuo tale quid ſculpi mandaverat. *c.* Eius quoque negligentiæ mors acerba magni Olſzovii, Regni Poloniæ Primatis, moderni Epiſcopi Kiovienſis *Zaluſcii* Avi, eſt adſcribenda. Cum enim Gedani morbo decumberet, Vitvicius adhuc Cancellariæ Regni Regens, Medicæ artis peritiam iactans, ei Ptiſanam porrexit, neminique, ne Medico quidem aliquid dixerat. Cui poſtea Regius Medicus Braunius, neſcius iam unum Pharmacum eſſe datum, alterum adiecit, tantæ efficaciæ, ut intra 24. horas Primas optimus in vivis eſſe deſierit. *d.*

In Ruſſia diſſenſio & odium ſemper adhuc regnabant. Vitvicius quidem multa pro Eccleſiæ bono ibi fecit, ſed Moſcorum Patriarcha bonos eius conatus impedivit, & Gabriel Kolęda, qui Tokolſcio ſucceſſerat, eum adiuvit. Michaël Rex vero omnia Unitorum Privilegia confirmavit, quo Schiſmatici valde ſunt offenſi.

a. Zaluſcius in Epiſt: T. III. p. 76.
b. Zaluſcius in Epiſt: T. II. p. 1168.
c. Zaluſcius in Epiſtolis T. II. 1219.
d. Zaluſcius in Epiſtol: T. I. p. 664.

XXVI. FRANCISCUS PRAZMOVIUS de Armis Belina.

Antiqua *Prazmoviorum* gens in Maſovia iam priſcis floruit temporibus. Ex hoc illuſtri & generoſo ſanguine *Franciſcus* noſter eſt natus. Patrem habuit *Andream*, Caſtellanum Varſavienſem

ſavienſem, qui plurimos genuit filios, *Nicolaum*, Regni Poloniæ Primatem, *Franciſcum* noſtrum, *Georgium* Palatinum Plocenſem & alios. Duos maiores natu, Pater optimus in omnibus bonis litteris ac diſciplinis, tam in Patria quam in aliis regionibus diligentiſſime erudiendos curavit, ut aliquando digne ſacris poſſent initiari. Inerat ambobus, quæ magna ſunt ad magnas res agendas præſidia & adiumenta, ſolertis ingenii vigor, vigilantia, fides, probitas, aliæque ſummæ virtutes. *Franciſcus*, ſuperatis humanioribus ſtudiis, Viennæ a Patre *Avanigno* Societatis Jeſu ſocio, in Theologia fuit inſtructus, quam poſtea & Romæ cum aliis ſcientiis ſumma tractavit diligentia, ibique ab *Innocentio* XII. Pontifice Maximo ſacris fuit initiatus. *a.*

Poſt reditum ſuum in Patriam, varios occupavit honores, fratris enim ſui commendatione, Scholaſticus Plocenſis eſt factus, & inter Canonicos Cracovienſes fuit receptus.

Paulo poſt Abbatiæ Sieciechovienſis adminiſtratio ei fuit demandata & a Rege Maior Regni Secretarius anno 1668. fuit nuntiatus. *b.* His ornatus dignitatibus undecies in Tribunali Regni Præſidem egit, ideoque Præſes perpetuus fuit appellaretus. A Rege *Caſimiro*, durantibus turbis domeſticis, ad Status Imperii Germanici Ratisbonam orator fuit miſſus, ubi omnia ex Regis voluntate perfecit.

Poſt *Witwicii* in Cathedram Luceorienſem aſcenſum, a *Joanne* III. Epiſcopus Kiovienſis fuit nominatus, id quod evidenter patet ex Zaluſcii Epiſtolis, Tom. I. p. 709. Munus vero Magni Secretarii quo *Prazmovius* ad hoc usque tempus erat functus, dicto modo *Zaluſcio* obtigit, ſed non diu hac in Cathedra ſedit, quia laudatus modo *Zaluſcius* iam anno 1679. 10. Octobr. in epiſtola quadam, Kioviensium ſe ſubſcripſit Epiſcopum. *c.*

Hanc quoque ob cauſſam *Orlovius* eum ſilentio præteriit, & *Nieſiecius* ei poſt *Zaluſcium* locum aſſignat. *d.* Tomo tamen III. pag. 719. dicit, eum hunc Epiſcopatum recuſaſſe.

Rex *Joannes* III. dignitatem iſtam cum Sigillo Regni, *Adriano Pikarſcio* Societatis Jeſu ſocio, deſtinaverat, ſed triſti quodam caſu hoc honore & ipſa vita Anno 1679. fuit privatus. *e.*

Poſt *Boguslai Leſzczynii* mortem anno 1691. Regis voluntate

a. Nieſiecius Tom. III. p. 726.
b. Nieſiecius l. c. Zaluſcius in Epiſtol. Tom. I.
c. Zaluſcius T. II. P. 145.
d. Nieſiecius Tom. I. p. 70.
e. Zaluſcius in Epiſtolis Tom. III. pag 327. Sed tota hæc hiſtoria digna eſt, quæ locum hic habeat. Rumor per univerſam manaverat Poloniam, in Volhynia, in domo cuiusdam Nobilis certa no-

ctis

luntate Episcopatum Luceoriensem accepit, sed anno demum 1697. & hoc in campo Electorali, coram Senatu iuramentum Senatorium in manus Cardinalis Primatis præstitit, quod ob retardatam Roma expeditionem, & sero venientes bullas, properis fatis Regis *Joannis* accedentibus, facere non potuerat. *a.* Hac in Cathedra boni pastoris munere per decem annos summa perfunctus est diligentia. Bresciæ in Lithuania templum Patrum Societatis Jesu anno 1697. consecravit. *Nicolaum Lancicium*, magnum Societatis Jesu in Polonia lumen qui fratris *Nicolai* Brunsbergæ olim fuerat Præceptor, & Præsulis nostri Confessor, semper summo prosecutus est honore.

Tandem anno 1701. 5. Septembris placide obiit, & Janoviæ, terræ fuit mandatus. Vir ob clementiam, religionem, liberalitatem in pauperes non satis laudandus.

ctis hora voces audiri (animæ fuisse existimatæ) quæ non tantum præterita, uti, hunc vel illum æternæ salutis compotem, aut etiam damnatum esse, sed etiam futura quædam prædicebant, & Pater Gniewosz, Societatis Jesu, supremi exercituum Ducis Theologius rem ita se habere, constanter asseverabat, Regi ipsi, ex eo loco redux, nam ex mandato supremi Ducis eo diverterat, id ipsum confirmabat. Nihilominus Rex, suspenso tantisper iudicio, dum plenius edoceretur, ex industria eo expedivit Galecium, Capitaneum Bydgostiensem, data ei in scripto informatione, qualiter ad rem ex fundamento enucleandam, ei esset procedendum. Redux offendit Regem prandentem, cui inter alios assistebat Pater Adrianus Pikarski de Societate Jesu, celebris Casimiri, Michaelis & Joannis III. Ecclesiastes. Retulit prædictus Capitaneus, se secundum instructionem in scripto datam assecutum, rem eam totam inventionis fuisse humanæ; miramque deceptionem, ut ut artificiose contextam, dumque totam historiam, quomodo ea facta fuerat, oculis subiiceret. Rex ex impatientia Patrem Pikarscium tum præsentem, his allocutus est verbis. Quid adhæc vester Gniewosz? defendereque paratum, graviori obruit reprehensione, quæ cum aliqua læsione totius Societatis esse videbatur, unde tanta ex tunc prænominatus Pater apprehensione laborare cæpit, ut statim post suum in Collegium reditum in malignam febrim incideret, in qua assidue in hæc erumpebat verba. *Læsa est Societas mea.*

Vix per hebdomadam ex eo decumbens morbo, tantus ille Ecclesiastes & Theologus & vir omnibus numeris absolutus est consumptus.

a. Zaluski Epistol: Tom. III. p. 337.

XXVII. ANDREAS Chrysostomus Comes ZALUSCIUS.

ANDREAS Chrysostomus Zaluscius, Varmiensium Episcopus, S. R. J. Princeps, supremusque Regni Cancellarius, celeberrimæ Zalusciorum gentis gloriam, qua multis iam sæculis, genere, virtute, pietate rerumque gestarum magnitudine in Polonia enituit, summa cum dignitate sustinuit, quin imo & auxit. Patrem agnovit Alexandrum, Palatinum Ravensem, virum de Patria optime meritum, quique præcipue magna iustitiæ laude floruit. Inter sex, quos ex Catharina, Andreæ Olszovii, Archiepiscopi Gnesnensis Regnique Primatis sorore germana, habuit filios, Andreas noster fuit primogenitus. Ab his igitur Parentibus, a prima statim iuventute Deo fuit consecratus, omnique cura & solicitudine educatus. Primis elegantiorum humaniorumque litterarum fundamentis in paterna domo feliciter positis, ab avunculo suo, magno illo Olszovio, tunc temporis Culmensi Episcopo, qui eum singulari semper prosecutus est amore, cum doctissimo de Mesgnien, Meninsko:

Romanorum Imperatoris linguarum Orientalium interprete, Viennam fuit missus. Hac urbe perlustrata, Græcium se contulit, ibique liberalioribus disciplinis, Philosophiæ & historiæ operam dedit, præter omnia vero iuris civilis canonicique studium sic avide est amplexus, ut in eo certissima viri maximi optimique iudicis indoles apparuerit. Hac quoque occasione linguam Germanicam addidicit, Avunculus, perspecta eius egregia indole, volensque animum eius ad maiora altioraque præparare, iam tunc temporis non dubitavit ad varia eum adhibere negotia.

Iniunxit enim ei, ut Viennam rediret. & secundum instructionem ei transmissam, certos aulæ Viennensis Ministros, quin imo & ipsum Carolum, Lotharingiæ Ducem adiret, eorumque animos exploraret, si forsitan Principi huic, post Casimiri Regis abdicationem, regni occupandi esset animus, finito ex avunculi voto, hoc negotio Varsaviam fuit revocatus, ut abdicationis actui, Comitiisque Electionis adesset, quia per breve hocce tempus, talia videre discereque posset, quæ ei per totam vitam accepta utiliaque forent. Mandato avunculi obtemperaturus, statuto tempore Varsaviæ adfuit. Post Comitia Electionis Regis Michaëlis, iter in Hollandiam Galliamque instituit, Initio anni sequentis venit Lovanium celeberrimam inferioris Germaniæ Academiam, ibi cum fratre suo studia altiora tractavit, Anno vero 1672. Parisios excurrit & circa huius anni finem Romam se contulit. Iam hoc tempore commercium litterarium habuit, non tantum cum amicis suis, variisque Poloniæ Magnatibus, sed & cum viris doctis, quos in itinere vidit & cognovit.

Anno 1673. ab avunculo suo in Patriam fuit appellatus, eiusque auctoritate, statim post suum adventum, sacris ordinibus nondum initiatus, dignitate Canonici Cracoviensis fuit insignitus. Rex Michaël, læthali incumbens lecto, inquo quoque XI. Novbr. dicti modo anni, est mortuus, Olszovio demandaverat, ut aurei Velleris ordinem, per ablegatum fidelem Madritum perferendum curaret.

Ad hoc munus Zaluscium nostrum destinaverat, qui eodem tempore, Republicæ nomine, Regis mortem annunciaret. Huncce igitur in finem, Principi Czartoriscio, Regni Primati, cui sub tempus interregni ius ablegandi ad quosvis Principes competit, fuit repræsentatus, a quo quoque nullam passus est repulsam, sed libenter hunc ei honorem detulit. Sacris igitur prius initiatus, acceptisque a dicto Principe Primate, in Collegio Societatis Jesu Ravensis ordinibus minoribus, nomine

Reipu-

Reipublicæ ei fuit iniunctum, ut aureum Vellus in Regis Hispaniæ manus redderet, simulque aliquod auxilium, tanto Rege dignum, contra Turcas peteret. Regina Eleonora vidua, ei quoque litteras dederat, quibus se favori Reginæ Hispaniæ itidem viduæ commendabat.

Accepta instructione ex Polonia movit cum Alberto *Opacio*, (Opacki) Succamerario Varsaviensi, qui Berolinum erat missus, pro petendis in omnem casum, contra Turcas, suppetiis, indeque in Galliam, pro corpore Joannis Casimiri, Parisiis defuncti, (Andrea Trzebicio, Cracoviensi Episcopo, gratum animum in benefactorem suum ostendente, & sumptum in id iter ultro offerente,) Cum Berolini esset, inopinate in Galliæ Legatum, *Verjus* nominatum, eiusque fratrem, Societatis Jesu Religiosum incidit, qui eius innatam, alias videndi regiones, cupiditatem, adhuc magis incitabant. Per litteras igitur Avunculum suum obnixe rogat, ut sibi liceret, hac occasione quoque in Lusitaniam excurrere. Hic, laudata eius curiositate, non tantum est assensus, sed ne privatus hoc iter aggrederetur, effecit, ut missis Credentialibus, nomine Reipublicæ ad Principem Regentem *Petrum*, ablegatus designaretur. *a*.

Berolini ab Electore, in cuius conspectum venerat, liberaliter fuit exceptus, nec sine donis dimissus. Commune deinde cum dicto Opacio Parisios usque ei fuit iter, quos, lustrata Lipsia, Norimberga, Argentorato ut & Lotharingia, feliciter attigerunt. Relicto ibi itineris socio, in Hispaniam viam est adgressus.

Madriti Nuntius Apostolicus *Marescotti*, qui olim hac provincia in Polonia erat functus, audito eius adventu, eum incognitus & privatus invisit, ad quem varias habuit litteras commendatitias, & ab avunculo suo ei erat iniunctum, ne quid sine eius consilio faceret. Finitis ibi feliciter negotiis, & hoc, studio & auxilio, dicti modo Nuncii, ut & Regis Daniæ Legati, in Lusitaniam abiit, ibi Populi & Religiosorum præcipue est admiratus ignorantiam, qui nec minimam de regno Poloniæ, eiusque incolis habuerunt notitiam, Constituto die, in Regis Reginæque conspectum fuit admissus, quibus Regis Michaëlis mortem denunciavit, simulque periculum exposuit, in quo Polonia, ob Turcas versabatur, atque suppetias petiit. Ab utroque benigne fuit exceptus. Regina vero eodem adhuc die, confessarium suum, nomine *Ricbardum* e Societate Jesu,

a. Vivebat quidem adhuc Alphonsus, Petri frater, verum ob mentis inopiam, tam throno, quam thoro amotus, utrumque Petro germano suo, cedere fuerat coactus.

ad eum misit, qui eius favorem & bona officia, in negotiis sibi concreditis, illi declararet. Ab initio, optimam habuit spem. Conventum enim erat, ut 500000. Imperialibus deberet esse contentus, pro quibus merces volebat emere, easque Legati Gallici, quem ibi vulgo Consulem vocant, auxilio, Gedanum navibus mittere, ut eis venditis, Respublica maiorem posset habere fructum. Sed cum contractus iam signari deberet, hæc omnia, studio perverso, Consiliarii cuiusdam, irrita facta sunt. Auctor vero primarius huius rei erat *Durazius*, Nuncius Apostolicus, qui, seu invidia, quod Zaluscius Noster, nec dum adultus, & tres tantum supra viginti annos natus, tam facile negotii sui vota obtinuisset, cui ipse tot annos insudaverat. *a.* sive aliis rationibus, an speciosis an re ipsa veris, præoccupatus, iam perfectum infectum reddidit negotium. Oleo igitur & opera perdito, Madritum est reversus ibique nuncium accepit de Joannis III. Electione, simulque mandata, ut Parisios rediret, & novi Electi Regis Oratorem ibi ageret. Ab aula Gallica bene fuit exceptus, & negotia sua optato ibi finivit. Postea *Caletum* excurrit, & navem Anglicam ascensus, *Hamburgum* est vectus, inde *Stetinum* & tandem *Gedanum* optima advenit sanitate.

Post eius in Patriam adventum, cum iam a *Ranucio*, Nuntio Apostolico, in Subdiaconum esset ordinatus, paulo post, ab Avunculo, iam Regni Poloniæ Primate, Lubaviæ in Diaconum, & deinde Presbyterum fuit consecratus. Postea Thorunium se contulit, & Reginæ Eleonoræ, tum ibi habitanti, Republica sic iubente, Litteras, concreditumque ei a Regina Hispaniæ scriniolum, in proprias reddidit manus, quæ eum humanissime excepit, ad aliaque civilitatis signa, pretiosum adiecit annulum. Inde *Skernivicias* ad Principem Primatem, avunculum suum abiit, a quo in negotio privato ad *Olszovium*, Regni Subdapiferum, fuit missus, & primam Deo hostiam *Szancii*, ipso & parente præsentibus, obtulit. Rediit denuo ad Primatem, & eius iussu, fratri germano, Alexandro uxorem divitem adduxit. Dissensionem inter Primatem & Episcopum Cracoviensem feliciter, & ex voto composuit. Cracoviensis enim Episcopus dixerat, se in Cathedrali Ecclesia Cracoviensi, Archiepiscopo Gnesnensi de funeralibus & exequiis Casimiri & Michaëlis Regum, litem esse moturum. In grati animi significationem, ab avunculo suo, Gnesnensis simulque Primatis Cancellarius

a. Nuntius iste a Sede Apostolica iniunctum sibi habuit, ut non contemnendam aliquam summam, quæ Poloniæ, pro bello Turcico serviret, ab illo, opibus & pace florente regno, impetraret, ille quidem operam suam adhibuerat, sed labor illius ad hoc usque tempus in cassum abierat.

larius fuit denominatus. Post Comitia Coronationis anno 1676. Cracoviæ acta, coram rege & regina, feria secunda Paschatis concionem habuit, anno vero sequenti, a Capitulo Cracoviensi, ad Tribunal Regni supremum, iudex fuit missus. Cum deinde iterum Tribunali Lublinensi adesset, & per otium *Radlinum* ad Castellanum *Sendomiriensem* abiisset, ibi inopinatum, de Primatis & Avunculi sui morte, Gedano accepit nuntium

Præ mœrore & tristitia, vix sui erat compos. Lublinum igitur celeriter rediit, & habito cum Castellano *Brzezinensi*, defuncti fratre, & bonorum Archiepiscopalium administratore, consilio, Gedanum celeriter excurrit, præcipue, quia audiverat, Primatem subito & intestatum fuisse mortuum. Habebat quidem Regiam subscriptionem pro Coadiutoria Abbatiæ Andreioviensis, negligentia vero Petri *Dunini* Soc: Jesu, qui defuncto Primati, in mortis momento, aderat, ea in manus alterius pervenit. Ex hæreditate ista Zaluscio Nostro, nihil æque carum fuit, ac defuncti Bibliotheca & Manuscripta. De thesauris vero relictis, varia dona successorum nomine, aulæ obtulit, Regi enim Altare argenteum 10000. Imperial: valoris, quod defunctus Primas, Viennæ, a Cæsare dono acceperat, cum Eleonoram Austriacam, pro Rege Michaële in Poloniam deduceret, fuit oblatum; Regina vero magni pretii annulum, ab Imperatrice, eadem occasione ei datum, duasque cruces aureas, Apotheculamque pixidibus argenteis, egregieque deauratis accepit.

Hoc factum erat *Piluskieviciis*, ubi Regem, Gedano redeuntem, erat assecutus. Advenerant eodem die Deputati a Tribunali Regni missi, quibus, cum nullus Ministrorum adesset, ex tempore tam Regis quam Reginæ nomine, Zaluscius noster respondit, & hæc prima eius fuit functio, quæ ei ad maiores honores paravit viam Regisque & Reginæ favorem conciliavit.

Hac enim deinde illum ad sua admisit obsequia, sigillumque ei condidit, de quo frustra postmodum Præmisliensis Episcopus *Sbąski*, tanquam actualis Cancellarius, contendit, nunquam enim illud recepit. Anno 1678. post *Prasmovii*, ad Episcopatum Kioviensem nominationem, Zaluscius noster, Magnus Regni Secretarius fuit designatus, & in Comitiis Grodnensibus Reginæ magna præstitit officia, per Reginæ tamen inconsideratas continuasque postulationes, Regis iram, & hoc in sessione publica, incurrit. Nam cum Reginæ nomine aliquid impetrare vellet, Rex, audito Reginæ nomine, toto impetu in Zaluscium irruit, eius accusans culpam, ac si ille eam indu-

xiſſet ad talia petenda, quæ obtinere non poſſet, & eum adhuc plura contra Zaluſcium loqueretur, hic impatientia ductus, in hæc prorupit verba: *Si non meminerit, Maieſtas Veſtra, me eſſe Sacerdotem, ſaltem meminerit, me eſſe nobilem, ne me innocentem ita tractare velit, quod Dominæ meæ exequar mandata,* his dictis, ſtatim a Throno receſſit, omniaque Reginæ retulit. Animo igitur conſtituerat, relicta *Grodna*, in ſuum redire Capitulum. Sed Rex, a Regina, finita ſeſſione, placatus, iram poſuerat & hæc res demum in Zaluſcii bonum verſa eſt, Regina enim, audita eius intentione, per Principem *Radiviliam*, Regis Germanam, ei nunciari iuſſit, ne Grodna abiret ſed cum ea in arcem veniret. Vix in conclavi Regis comparuerat, cum Rex, prius eum ſalutans, diceret. *Quam mala eſt Dominatio ſua,* Zaluſcius reſpondit: *reprehenſionem nimiam innocentis cauſam fuiſſe.* Rex poſtea regia ſua extenſa, Zaluſcii arripuit manum, dicens hilari vultu, *fateamur, facilis utrique ira eſt. Verum ab hoc tempore, Regio, te aſſecuro verbo, te ne malum quidem verbum a me eſſe auditurum, tu viciſſim te ipſum præſta, mihique pollicere, quod nunquam in me aliquam fovebis iram,* & ab eo tempore usque ad ſupremam vitæ horam, ne quidem contractam contra Zaluſcium oſtendit frontem: & quia *Praſmovius*, a Rege ad Epiſcopatum Kiovienſem nominatus, hancce dignitatem in manus Regis reſignaverat, Andreas Noſter in eius locum, anno 1679. fuit conſtitutus, qui fide, dexteritate, officiisque ſuis, Regis animum valde ſibi devinxit, a quo quoque variis maximisque negotiis fuit adhibitus.

Anno enim 1683. inter alios fuit denominatus qui Pacta, inter Romanorum Imperatorem, Regemque Poloniæ, contra Turcos ſubſcriberet. Deinde omni niſu ſtuduit, ut Epiſcopatum ſibi commiſſum in meliorem redigeret ordinem. Capitulo ius mittendi Deputatos ad iudicia Tribunalitia ab anteceſſoribus ſuis neglectum, ab aliis vero poſtea impugnatum, ſumma gloria reſtituit. Poſtea Regis iuſſu negotium matrimoniale, inter Principem *Anhaltinum* & *Radiviliam* tractavit feliciterque finivit. Cum fortuna ei ex voto faveret & tanquam albæ gallinæ filius eſſet conſiderandus, inopinato terga ei vertit, Anno enim 1687. a Regina, ob eius animi inconſtantiam, duarumque mulierum continuas altercationes, multas magnasque perpeſſus eſt perſecutiones, *a.* eoque demum fuit perductus, ut animo conſtituiſſet aula abire, litteris igitur ſcriptis, Regi valedixit, aulaque abſceſſit.

Inter alia a Regina ei fuerat imputatum, quod domui *Radivi-*

a. Hæ mulieres erant La Treu & Federba, ambæ e Gynæceo Regio, aſtutæ & ad omnes artes inſtructæ.

Radivilianæ esset addictior, quam Regiæ, ideoque *Jacobi*, Regii Principis connubium cum *Radivilia* impedivisset. Sed quia hæ rationes adhuc non erant sufficientes, ad Regis populique animum ab eo alienandum, maiora potioraque erant excogitanda. Attribuebatur igitur ei, *Oleskum*, ubi tunc temporis aula Regia degebat, ab eo fuisse incensum, licet ille, incendii huius tempore, sicut omnibus erat cognitum, plus quam duodecim milliaribus dicto abesset loco. Quia vero præsentia eius, aulæ valde erat utilis, per internuntios fuit tractatum, ut ad aulam rediret, quos inter præcipui erant Reverendus Pater *Vota* S. J. *Skopovius*, Ord. Sancti Dominici, Regisque Confessarius, atque Sigismundus *Denhofius*, tunc temporis Vielunensis Succamerarius. Hi eum de his falsis imputationibus tutum securumque reddebant, eique confirmabant, Reginam a Rege eo iam esse perductam, ut sancte spopondisset, se eum pristino esse prosecuturam amore, priorique fiduciæ admissuram. Joannes, vero *Vielopolscius*, supremus Regni Cancellarius, Reginæque inimicus infestissimus, omni studio quærebat, ut eius animum magis magisque ab aula alienaret, eoque perduceret, ut se confœderatis contra Reginam, quorum caput ille erat, adiungeret. Res hæc erat magni momenti, & maturo consilio digna, ob fidem igitur, qua Reginæ erat obstrictus, tale propositum fortiter reiecit, coactus tamen fuit in difficillimo hoc passu, altum hac de re promittere silentium, id quod ei postea magnas movit turbas.

In aulam redux, a Regina, quæ iam deferbuerat, satis benigne fuit exceptus, & reconciliatione facta, illa a Rege petiit, ut præposteræ iræ, Sigilli collatione pensarentur, sed honos iste, ei iam decretus, fæminæ cuiusdam astutiâ, ei fuit ereptus. Cum postea, ob varia absolvenda negotia, aulâ abiisset, Regina denuo eius famam dilacerare studuit, & non tantum varios Episcopos, aliosque Senatores contra eum concitavit, sed & Romam scripsit, ut ei ibi inimicos faceret. Quo audito, Zaluscius, conscientiâ bonâ fretus, ad Cardinalem Primatem & Ernestum *Denhofium*, Palatinum Mariæburgensem, Reginæque Mareschalcum, multosque Episcopos ac Regni Proceres litteras scripsit, quibus, innocentiam suam exposuit, parum tamen hoc profuit, & plus olei flammæ addidit.

Accessit inopinatus Principis *Radiviliæ* ab aula discessus, qui ei quoque adscribebatur. Naturalis enim Reginæ aversio tanto maiora in dies sumebat incrementa, quanto plura in dicta Principe erga Zaluscium nostrum perspiciebat grati animi indicia. Varsaviam igitur se contulit, Regina vero, quæ ubique

ſuos iam habebat exploratores, ſtatim ei vitio dabat, ſi quendam tantum a partibus eius non ſtantem, vel videret vel cum eo loqueretur.

In hoc afflicto ſtatu, lætum accepit nuntium, ſe a *Madalinſcio*, Cuiavienſi Epiſcopo, in Coadiutorem fuiſſe electum, ſed hæc lætitia non diu duravit, nam potenti inimicorum ſuorum, factione, hunc ei decretum honorem ægre ferentium, accidit ut Staniſlaus *Dąbſcius*, poſt dicti *Madalinſcii* mortem, huncce Epiſcopatum obtineret, & licet Cracovienſium Pontifex *Malachovius*, poſtea ſimilem affectum & gratiam ei exhibere vellet, ille tamen ipſe, ætatis ſuæ reſpectu, hocce honore, qui ſenioribus præiudicio eſſe poſſet, abſtinere maluit, quam novos ſibi parare inimicos. Tandem anno 1687. die 6. Octobr. amplas ad Reginam ſcripſit literas, quibus Cancellarii dignitate ſe abdicavit, & ſigillum Reginæ, quod undecim propemodum habuerat annos, aliaque, quæ in manibus adhuc habebat documenta, Culmenſi Epiſcopo, Joanni *Opalinſcio*, reddidit, apud Senatores vero Epiſcoposque, de hac ſua fortuna adverſa, amare eſt conqueſtus, ſicut ex litteris, hunc in finem ad eos datis, late apparet.

In Comitiis Grodnenſibus, anni 1688. Caſimiri *Lyſzcinii*, cauſa agebatur. Rex hunc atheum Palatino Vilnenſi cuſtodiendum commiſit. Ibi quoque Abbatia *Pokrywnicenſis* cuius adminiſtrationem Zaluſcius noſter, cum adhuc Canonicus Cracovienſis eſſet, habuerat, *Denhofio*, Camenecenſi Epiſcopo ceſſit. Mox factio contra Reginam erupit, cuius auctor, ſumma quidem iniuria, *Zaluſcius* noſter fuit habitus, & cum Præmiſliæ eſſet, a Patre *Vota* accepit litteras, qui Regis nomine eum interrogabat, num aliquid de hac factione ei eſſet conſcium, nihil ad hæc reſpondit quam hoc, ſe non oblitum iuramenti ſui Senatorii, & ſi tempus vel occaſio ſe offeret, ſe Regi eſſe exhibiturum zelum, qui cuivis honeſte Regem & Patriam amanti competeret. Et quia negotium, quod Berolini de connubio Principis Jacobi & Electoris filia tractabatur, optatum non habuit ſucceſſum, culpa quoque in Zaluſcium noſtrum transferebatur. Interea Cardinalis Primas, Pater *Vota*, atque *Skopovius*, eius adventum in aulam inſtanter deſiderabant, ſancte promittentes, Regem ſeſe interpoſiturum, quin imo iam cum Regina egiſſe, quæ eum omnino admitteret, pro amicoque haberet. His igitur perſuaſionibus motus, 20. Jul. 1688. Varſaviam eſt profectus, indeque Villanovam ivit. Poſt ſuum adventum ad Regem fuit admiſſus, non item ad Reginam, quæ hanc ſcenam Varſaviæ exhibendam, in ſequentem diſtulerat

diem,

diem, Senatus Consilio, quod in Casimiriano Palatio habitum fuerat, finito, ad Reginam se contulit & in ipso conclavis ingressu, in quod de industria plures matronæ, quam consuetudo erat, curiositatis gratia convenerant, Rex manum eiuscomprehensus, eum ad Reginam duxit, claraque dixit voce: *Plurimum, te rogo, ne meminisse velis præteritorum, sed quemadmodum faventem te ante huic præbuisti, ita etiam in posterum Te exhibe, me pro illo fideiussorem habens, eum Tibi obsequentissimum futurum*, Regina se facturam, quæ Rex vellet, pronunciavit. Hoc reconciliationis actu finito, Rex & Regina, Villanovam excurrunt, Zaluscius vero Varsaviæ valetudine infirma remansit.

Comitia anni 1689. erant turbulentissima, valdeque in eis pro dignitate Episcopali pugnabatur. Episcopus enim Culmensis *Opalinscius*, non contentus, quod Rex causam, quam cum Thorunensibus habebat, non ex voto eius iudicare vellet, inter alia & hæc demum dixit verba. *Aut regnare desine, aut recte iudica.* Ad hæc *Matcinscius*, Palatinus Belzensis, zelo motus, in Senatu exclamabat, *pellendos esse Episcopos ex senatu* & *Romam mittendos.* Cui vero Zaluscius reposuit, *ut consideraret, quæ diceret, illos enim non esse Episcopos natos sed nobiles, & quod illi, præcipue contra Ecclesiam loquuntur, qui nec minimum pro Ecclesia contribuerunt.* Rex interim, prehensa Zaluscii manu, hocce negotium prudenter & placide sopivit.

His in Comitiis *Lyszcynscius* Atheismi fuit accusatus, contra quem M. D. Lithuaniæ Instigator fortiter egit. Disputatum est diu, utrum, cum sit nobilis, & non citatus, iudicari posset, porro, utrum remittendus esset ad forum spirituale, uti in dogmate fidei, sed evicit maior pars, & Rex conclusit: quod habeat terminum ante iudicium sæculare. *a.* Res igitur eius fuit acta & decretum contra eum publicatum, quod quoque noster subscripsit Zaluscius. Publicæ deinde, Episcopi Posnaniensis iussu, in Ecclesia Sancti Joannis, instituebantur preces, & *Zaluscius* noster, hac occasione, habuit sermonem, quo peccati huius gravitatem populo exposuit. Postea Lyszcynscium adiit, cum eoque de salute sua est locutus, sed quia hic plus corpus quam animam amabat, ab initio parum profecit. Dei vero gratia postea eum eo perduxit, ut in Ecclesia Sancti Joannis publice revocaret, deinde in Theatro, hunc in finem ere-

a. Nuntius Apostolicus *Cantelmius* minime erat contentus, quod forum sæculare sibi hanc causam arrogaverat. In Palatio igitur suo habuit consilium (frustra obsistente Episcopo *Plocensi*, qui datis ad alios Præsules litteris, Nuntii authoritatem in dubium vocaverat, eique ius esse convocandi alios Episcopos, cum illud soli Primati competeret, fuerat inficiatus) in quo, cum lachrymis Pontificis nomine congregatos obtestatus est Patres, ne Religionis causas foro sæculari arbitrandas permittendo, status Ecclesiastici Privilegia proderent.

cto constitutus, coram Episcopo Posnaniensi fidei professionem legit, & a dicto Episcopo aliquoties disciplina percussus, absolutionem accepit, descendens postea hocce Theatro, Dei misericordiam publice imploravit, & populo inclamavit. *Non credite Diabolo, nam is me & vos decipit, in operibus Dei non simus curiosi, non nobis est necessarium ea, quæ sunt abscondita oculis nostris videre, nec quæramus sed credamus potius, quid veritatis lateat.* Admotus deinde suppliciis, in linguam & os primum fuit sævitum, deinde dextra fuit exusta manus, crematæque chartæ blasphemiarum plenæ, tandem & ipse flammis fuit absumptus.

Post expletum Episcopatus sui quinquennium, Zaluscius Iuramento suo satisfacturus, Romam ire animo constituerat, sed Regni Comitiis impeditus, Ecclesiæ suæ Decanum mittere fuit coactus, per quem & per datas ad Summum Pontificem, litteras, de Episcopatus sui statu, cuius vero, vix vicesimam, sicut in litteris exprimebat, possidebat partem, cætera enim Moscus occupavit, amplam reddidit relationem. *Bialocerkuiæ* novam volebat erigere cathedram, impetrato iam ad hoc Regis consensu, quia huic loco & fortalitium, & *Faustovia* cum suis attinentiis, ad mensam Episcopalem pertinentibus, opportune sunt vicina, quorum partem non contemnendam congrue ad Cathedram præfatam residentibus, quique eam repræsentarent, impendere cogitabat & destinabat. Titulos Prælatorum, qui aboleverant, resuscitavit, eisque personas genere æque ac virtute eruditioneque conspicuas ornavit, sed conatibus suis eventus non respondit. Bello enim contra Turcas suscepto, bonorum pars, Tartarorum incursionibus misere fuit desolata, pars a rebelli Cosaco, *Pally* dicto, violenta manu fuit occupata.

Certam quidem a Republica obtinuit summam, cuius vero maximam partem in usum & sustentationem Missionariorum, quos ex Sancti Dominici Ordine, e Societate Jesu, & Carmelitis habebat, adhibuit, & quia per centum fere annos, antecessorum suorum negligentia, vel alio quodam fato, ex Capitulo Kioviensi judex Deputatus ad Tribunal Regni non admittebatur, *Zaluscius* Noster, sicut iam diximus, non absque magnis impendiis & difficultatibus effecit, ut nunc more aliorum Capituli Kioviensis Deputatus, locum ibi habeat. Cura quoque Missionariorum, multi Schismatici ad Ecclesiæ Romanæ gremium fuerunt reducti, fideles vero Catholici ad frequentiorem Sacramentorum usum impulsi. Multorum quoque animos, ex antiquo inter sese dissidentes, reconciliavit; in

Polesia

Polesia Officialem sumptibus suis aluit, qui aliquot curatis beneficiis superintenderet, ad quæ vix pretio iusto, sacerdotes conducere poterat, ob hostium viciniam tractumque periculosum, nihil denique in suo Episcopatu prætermisit eorum, quæ boni pastoris munus exigebant. Post Comitia, Anno 1689. Varsaviæ habita, cum Nuntiorum Mareschalco & Posnaniensi Episcopo fuit designatus, ut pro Vladislao *Los* Palatino Pomeraniæ ad aulam Viennensem destinato Legato, instructionem scriberet, & eodem adhuc anno cum aliis a Rege fuit nominatus, ut Documenta prætensionum Domus Neoburgicæ, ad Bona *Radiviliana* revideret. Postea *Lublinum* excurrit ubi *Potocio* Crasnostaviensi Capitaneo, & *Czarnecii* Notarii Campestris filiæ, benedictionem nuptialem dedit, inde *Jaroslaviam* ivit, ibique Innocentio XI. summo Pontifici, sub cuius Pontificatu *Kioviensem* obtinuerat Episcopatum, solennes instituit exequias, quibus finitis, mense adhuc Decembri, Abbatiam suam visitavit. Anno 1690. die 16. Novembr. subscripsit nomine Regis cum Stanislao *Witvicio*, Posnaniensi Episcopo, aliisque ad hunc actum deputatis, contractum matrimonii inter Electoris Palatini Joannis Guilhelmi Sororem, & Principem Jacobum, & anno 1691. mense febr. in dictæ sponsæ occursum a Rege fuit missus, quam Men. Martii *Juxanoviæ* in Silesia offendit, sed redditis ei litteris non diu est moratus, & uti ei erat iniunctum, reditum suum acceleravit. Quum eodem anno cum Rege Javoroviam esset profectus, ibi ab hoc Principe clementissime fuit interrogatus, si Episcopatum *Luceoriensem* cum Præpositura *Plocensi* post Leszczynii obitum vacantem, accipere vellet, sed ille respondit, hoc a Regis gratia pendere, ad hæc Rex, *Præposituram concedo, Episcopatum non opto, expecta quid melius.*

Discedenti postea, ut possessionem Præposituræ *Plocensis* adiret, significatum est, Episcopum Cuiaviensem morte obiisse, arripuit igitur occasionem & huncce Episcopatum a Rege postulavit, Rex vero ab eo petiit, ut *Dąbscio* cederet Cuiaviensem, & sumeret *Plocensem*, id quod quoque accidit.

Sub finem anni 1691. novum suum Episcopatum est ingressus, quem, quia ab antecessore suo in Emphyteusin erat datus, vix magno labore in ordinem redigere potuit. Lites deinde cum eodem suo Antecessore, Nominato Cuiaviensi habuit, quia ei *Gomolinscium*, Canonicum tunc temporis Plocensem, postea vero Episcopum Kioviensem, in Suffraganeum obtrudere vellet, sed ille fortiter obstitit, dicens se adhuc non eâ esse ætate, ut Suffraganeo necesse haberet. Anno in-

ſequenti, menſe Novembr. Expeditionem Roma accepit, & 17. eiusdem menſis Epiſcopatum ſuum occupaturus abiit, iuramentum vero coram Nicolao *Popławski*, Livoniæ Epiſcopo, Decano Plocenſi, præſtitit. In ingreſſu a Capitulo fuit ſalutatus, & a dicto modo Livoniæ Epiſcopo, eleganti ſermone exceptus, cui non minus eleganter reſpondit. Tempore, quo Diœceſis ſuæ Baſilicas viſitavit, multos pios ac doctos habuit ſermones, primum in Viſitatione Eccleſiæ, Cathedralis 4. Maii ann: 1693. alterum in Viſitatione Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Michaëlis die 6. Maii; Tertium 7. Maii in viſitatione Eccleſiæ Parochialis; quartum ad Populum Plocenſem in Eccleſiæ Cathedrali, Dominica Pentecoſtes die 10. Maii congregatum, qui omnes exſtant Tom. II. Epiſtolar: p. 1272-1294. Mors optimi Parentis, Alexandri, Palatini Ravenſis, quæ die 19. Jun: an: 1693. accidit, acerbum ei inflixit vulnus, cui poſtmodum 17. Aug. parentavit.

In pacandis diffidiis, inter Epiſcopum Vilnenſem, *Brzoſtovium* & Summum Exercitus Lithuaniæ Ducem, Palatinumque Vilnenſem, Caſimirum *Sapieham*, quæque totam fere Rempublicam dilacerabant, multum conſumſit laboris, & Regis iuſſu, hac in re difficillima, ſæpe ore & litteris fortiter egit.

Anno 1694. a die 24. Febr. usque ad 6tum Martii, aliquas Eccleſias Parochiales ſuæ Diœceſis viſitavit, poſtea vero Pultoviam ſe contulit ad celebrandum Jubileum.

Hoc anno ſcripſit quoque, rege iubente, Pactum matrimoniale, cum Electoris Bavariæ Legato Libero Barone de Meyer, Convenerant huncce in finem in Palatium Noſtri Zaluſcii, Caſtellanus & Palatinus Cracovienſis multique alii Senatores & ſuperatis multis, quæ obſtabant, difficultatibus, hocce negotium tandem feliciter fuit finitum, & contractus 20. Maii ab utraque parte ſubſcriptus. Poſtea Regi Reginæque denegare non potuit, quin Electoris ſponſam Bruxellas deduceret, de quo ſuo itinere Regem & Reginam per crebras litteras exacte inſtruxit. Hæc tamen ablegatio multis malevolis ſuſpicionem movit, ac ſi prætextu deductionis huius Sereniſſimæ ſponſæ, cum Rege Galliæ conſilia, Patriæ nociva, habuiſſet:

Poſt eius reditum Bruxellis, Anno 1696. Eccleſiam in *Okuniew* conſecravit & Varſaviæ Regem, gravi morbo decumbentem offendit. Reginæ deinde inſtinctu, ei autor ſuaſorque fuit, ut teſtamentum conſcriberet, ſed irrito conatu, morbo tamen in dies ingraveſcente, apud eum manſit & in ultimo mortis articulo, auxilio & precibus ſuis ei adfuit. Poſt eius mortem, quæ Villanovæ, hora octava veſperi, die 17. Jun.

an. 1696. & quidem in ipſo Sanctiſſimæ Trinitatis feſto, quo ille liberis ſuffragiis, ante annos 22. Rex erat, declaratus, eſt ſecuta, Reginæ triſtem hunc & acerbum detulit nuntium.

Comitia Convocationis anni 1696. fuerunt abrupta, *Zaluſcii* Noſtri tamen cura & ſtudio indefeſſo, Vilnenſis Epiſcopus & Palatinus Vilnenſis, Summusque Ductor Lithuaniæ, poſt tam longas diſſenſiones & diſcordias tandem fuerunt reconciliati. Maior tamen diligentia, cura & ſolicitudo requirebatur, reconciliandi Duces Poloniæ, cum Exercitu confœderato, ſicut litteræ eius hac de re ſcriptæ, abunde teſtificantur. Nuntium poſtea Apoſtolicum, qui ad Comitia Electionis venerat anno 1697. in Campum Electoralem deduxit.

In turbulentiſſimo hoc Regni Poloniæ Statu, a partibus Principis de *Conti* ſtetit, hancque ob cauſam varia eſt perpesſus, videns vero, dictum Principem non amplius rem ſuam poſſe ſuſtinere, proprio ſumptu: *Jelecium*, aulicum ſuum Pariſios, ad Regem Chriſtianiſſimum miſit, qui eum de vero rerum Statu informaret, precibusque flagitaret, ut Rex accepta hac ſincera relatione, Polonos a fide erga Principem de *Conti* liberaret. Accepto per iſtum ablegatum Regis Galliæ reſponſo, ad Neo Electum Regem Auguſtum acceſſit. Submiſſione ſua debite factâ, ab illo benigne fuit exceptus, & apud hunc Principem in ſumma deinde fuit gratia, ſemper eum eſt comitatus, & ſæpe cum eo ſolum in curru eſt vectus. Id quod præcipue accidit, cum dictus modo Rex, anno 1698. in Pruſſiam Iohannisburgum venandi cauſa ſe conferret, ſed iter hocce illi erat felix & auſpicatum. Decima quinta enim Junii, *Uieyſcius* & *Butlerus*, duo Epiſcopatus Varmienſis Canonici, a Capitulo miſſi, ad noſtrum venerunt Zaluſcium, qui eum Capituli nomine ad Varmienſem Cathedram occupandam poſtulabant.

Iam antea Præſul noſter Synodum in Collegiata Pultovienſi 17. Jun. habendam, indicaverat, cedensque ſuo Epiſcopatu Plocenſi, & ad alium ſe conferens, hunc actum aliqua cum inſigni adornare volebat coronide, quo fine librum Ioh: *Manſi*, Congregat: Orator: in affectus ſui teſtimonium, ex Jtalico idiomate in Polonicum ab eo traductum, ſub titulo *ſpeculum veri Sacerdotis*, imprimi curavit, & illum cuivis ex Clero ſuo, dono obtulit. Synodum ipſam, a quinquaginta fere annis in hoc Epiſcopatu intermiſſam, & neglectam, die deſtinato, Pultoviæ celebravit. Qua occaſione in unaquaque ſeſſione elegantem habuit ſermonem, Hancce ſynodum Clero Plocenſi in ſignum fraterni affectus & indelebilis amoris reliquit

cum admonitione, tali Præſule digna.

Rex ad bellum Turcicum proficiſcens, Zaluſcium Noſtrum, qui cum eo Otvocium usque, antea Aula alba dictum iverat, adeo ſolicitavit, ut ſe nullatenus excuſare poſſet, quin Regi promitteret, ſe huius itineris comitem futurum. Regreſſus igitur Varſaviam ad iter hocce ſe accinxit. Multi Zaluſcio Regis favorem ab eoque acceptam ad Epiſcopatum Varmienſem confirmationem, invidebant, omnemque movebant lapidem, variasque adhibebant artes, ne ad dicti Epiſcopatus poſſeſſionem perveniret. *Daviam* Summi Pontificis Nuntium, in ſuas trahebant partes, & hic, animi levitate, Pontificis nomine, Regi declaravit, gratum fore Sanctiſſimo Patri, ſi nominatio in Zaluſcii favorem facta, mutaretur, ſed nec Summus Pontifex, nec Rex tale quid ſomniaverunt. *Davia* tantum variis promiſſis a Zaluſcii inimicis eo erat deductus, ut talem inconſideratam faceret declarationem. Hic vero, bona cauſa ſua fretus, amicorum ſuorum auctoritate, quos Romæ habebat, anno 1699. menſe Aprili a Sancta Sede, maximo inimicorum ſuorum dolore, confirmationem accepit. Antequam vero novum ſuum Epiſcopatum occupaturus diſcederet, in Plocenſi adhuc varias conſecravit Eccleſias. Menſe tandem Iunii, dicti modo anni, Plocenſi Capitulo valedixit, & accepta Roma expeditione, Epiſtolam Paſtoralem ad totam novam Dioeceſim miſit.

In cauſa Elbingenſi maſcule pro Republica laboravit, quia cum aliis ad hocce negotium erat deſignatus, quo feliciter finito, ille Commiſſariorum Princeps die 3. Febr. Anno 1700. ad Magiſtratum populumque Civitatis Elbingenſis in prætorio congregatum, habuit ſermonem, quo eis clare & docte expoſuit, quâ fide Reipublicæ eſſent obſtricti.

Eodem adhuc anno & menſe, iter Romam eſt adgreſſus, & in via, Vratislaviæ matrimonium, inter Principem Carolum Neoburgicum Palatinum Rheni, & Thereſiam Ioſephi Caroli Lubomirii, Supremi Regni Mareſchalci filiam, ibi concluſit. Sed iter hoc, quod tantum in negotio animæ erat ſuſceptum, celeriter quoque fuit finitum, ita, ut 1. Jun. eiusdem anni in Poloniam iam eſſet reverſus. Menſe Novembri Epiſcopatus ſui Viſitationem ſuſcepit. Anno ſequenti vero Regiomontum excurrit conſecraturus ibi Eccleſiam, & a novo Rege humanisſime fuit exceptus. In pacificanda Domo Sapiehana, cum hoſtibus ſuis, omnem adhibuit operam quæ quoque ſuo non caruit ſucceſſu.

Anno 1702. a Rege Auguſto Sigillum Maius ei fuit collatum

rum, quod Joannes III. ei iam anno 1688. promiserat, quia vero leges Episcopo Varmiensi Sigillum non permittunt, a Republica, pro hac sola tantum vice, consensum obtinuit & 27. Nobr: in gratiarum actionem, publicum habuit sermonem.

Tempore belli Suecici multa adversa ei erant perferenda, sæpeque in vitæ versatus est periculo. In Consilio Mariæburgensi anno 1703. habito, pro Augusto Rege suo elegantem habuit sermonem, qui eo fuit effectu, ut multorum animi, ab eo iam alienati, ei iterum reconciliarentur. Et cum anno 1705. Res huius Principis in afflictissimo essent statu, consilio suo constanter illi adfuit, eique semper fidelis adhæsit. Nihilominus tamen inimicorum artibus circumventus evitare haud potuit, quin Principis sui gratia excideret, eodem enim adhuc anno, suspicio quædam in eum incidit, & omnia eius scripta fuerunt obsignata.

Deinde, regis mandato vocatus, Dresdæ comparuit, sed statim post suum adventum, imimici eius nullam intermiserunt occasionem, quin occultis viis illicitisque mediis Regis affectum, a fideli hocce ministro, alienarent. Quæ igitur cum eo, Dresdæ, in retentione sua, fuerunt acta, hæc omnia plenius ex ipsius Epistolis Tomo III. p. 710. insertis, legi possunt. Tandem 18. Apr. Anno 1706. *Anconam* ire fuit iussus, vel multo magis eo fuit deductus, ubi quoque tanquam captivus politicus, in arce fuit detentus, & in maxima ibi vixit solitudine, ab omni enim (sunt verba illius) tanquam Ethnicus & publicanus, communione fidelium arcebatur, & domi manere, neminem videre, nihilque audire erat coactus, 20. Jun: cum Apostolica benedictione per Cardinalem *Paulutium*, videndi fratrem suum facultatem, & exeundi accepit permissionem, noctu tamen semper in arcem redire debuit; & meretur hic legi Epistola, quæ exstat Tomo IV. pag. 783.

Varias Romam scripsit litteras, in quibus petiit, vt iudicaretur, si esset reus, si non, ut dimitteretur. V. Augusti ei fuit nuntiatum, quod haberet libertatem adeundi & recipiendi quemcunque vellet ex religiosis, & die Sanctæ Theresiæ sacro, alias Româ accepit litteras, quibus summus Pontifex voluit, ut ex arce exeat, totaque civitas ei carcer fiat.

Post pacem inter Augustum & Sueciæ Regem factam, res Zaluscii nostri melius ire incipiebant, & paulo post, Romam venire fuit iussus, ibi carcere suo liberatus, 24. Xbr: a Comite sancti Martini, Roma fuit abductus, libertatique re-

ſtitutus. Cum veniſſet Vratislaviam, invitatus fuit, ut in Saxoniam veniret, quia vero in via in morbum inciderat, & adhuc non plane erat reſtitutus, paululum adhuc Vratislaviæ eſt moratus. Poſtea in regreſſu ſuo in Poloniam, obvium ei fuit Epiſcopus Culmenſis, qui poſt affectus Regis Stanislai & Regiæ matris contestationem, ei perſuadere tentabat, ut ab exercitio ſigilli abſtineret, ne Confœderatio Varſavienſis debilitaretur, offerendo ei Archiepiſcopatum Gneſnenſem, ad quem Auguſtus Szembekium iam nominaverat, ſed ille fortiter abnuit, dicens: ſe Archiepiſcopatum, contra ſummi Pontificis declarationem ac voluntatem, minime accipere poſſe. Veniens inde Leſznam, bene ibi animadvertit, *Jablonovium*, Palatinum Ruſſiæ ſigillum ambire, mater Stanislai altero die adhuc ei perſuadere voluit, ut acciperet Archiepiſcopatum, ſed ille conſtanter reſpondit, ſe neutiquam illum accepturum.

Stanislaus ipſe magnis iuramentis, eum ſecurum reddere voluit, dicens quod omne impedimentum circa miniſterium ei reſtituendum, ab aula Suecica veniret, & cum aliquot, poſt dies, dictus modo Rex ad Regem Sueciæ proficiſceretur, Zaluſcius noſter in abitu fuit interrogatus, quid deſideraret ſed ille nihil petiit, niſi ut Varmia a ſervitutis iugo, ſub quo gemebat, liberaretur, & ut ei licitum ſit, in Epiſcopatum ſuum redire. Stanislaus a Rege Sueciæ redux, attulit libertatem redeundi in Varmiam, ibique manendi, id quod Zaluſcius pro ſigno dimiſſionis habuit, & cum hac declaratione valde fuit contentus. Ferias Paſchales adhuc Leſznæ celebravit & Rex ei propoſuit ut Varſaviam abiret, ibique per illud tempus maneret, quo ipſe cum Rege Sueciæ in Moſcoviam iret, totamque negotiorum molem cum confœderationis Mareſchalco ſuſtineret, ſed Zaluſcius noſter reſpondit, ſe hoc nec velle nec poſſe facere, niſi antea & in Miniſterium & in Epiſcopatus poſſeſſionem, ab omni contributionum genere liberi, in integrum eſſet reſtitutus.

Cum paulo poſt Roma veniret Nuntius, Papam nec Electionem, nec coronationem Stanislai, nec Auguſti abdicationem probare, magna conſternatio omnium invaſit animos, & Rex Stanislaus, hoc audito, ita iræ exarſit, ut Epiſcopis palam minaretur, eiiciendos eos eſſe ex Senatu. Tandem fuit concluſum, ut Zaluſcius precibus, minis, omnibus denique rationibus perſuaderetur, ut iter Romam arriperet, ſed ſemper abnititu. Interim tamen Regem inſtanter eſt precatus, ut caſſationem privilegiorum illi ſubſcriberet, cum illa quæcun-

que

que Rex Auguftus Domui fuæ obtulerat, ut Vielunenfem Ravenfem & Inovladislavienfem Capitaneatus, Rex Stanislaus inter alios diftribuiffet. Sed & hoc ei fuit denegatum, & Zalufcius accepta hac repulfa, adeo erat iratus, ut Privilegia, quæ iam parata habebat, in ignem proiiceret & minaretur, fe manifeftationem facturum, quod tam iniufte a *Sigilli* exercitio arceretur. Abiit deinde Vratislaviam & habito Opaviæ cum Nuntio Apoftolico *Piazza* colloquio, in Varmiam excurrit.

Ex hoc tempore nonnunquam calculi dolores fenfit. Tempore novi interregni tranquille in Varmia manfit, ibique tantum de Ecclefiæ bono fuit follicitus. In hoc trifti Patriæ ftatu, anno 1708. ab amico quodam accepit nuntium, a Rege Augufto collata munera, penes antiquos manere debere poffeffores, excepto tantum figillo maiori Regni, quod Jablonovius Ruffiæ Palatinus, adhuc fortiter ambibat, & cui hoc quoque, hoc ipfo adhuc anno, reddi debuit. Cum tamen multi fenatores fe opponerent, quos inter *Gomolinius*, Kiovienfium Epifcopus erat, Rex hoc intermittere fuit coactus. Prætextus huius rei erat, quod Rex in Mofcoviam cum Rege Sueciæ procedens, egebat figillo, fi cafu quodam, ficut fperabatur, tractatus cum Mofcis effet faciendus, fed cum Procancellarius Lithuaniæ præfens effet, allegatum eft, omnes Mofcoviticas expeditiones, figillo Lithuaniæ muniri poffe, Confilium igitur hocce cum ingenti Stanislai angore, fummaque inimicorum confufione, evanuit. Paulo poft Regiomontum fe contulit, ibidemque pariter Ecclefiæ negotiis fuit occupatus, in reditu ex improvifo Regem Stanislaum ex Lithuania redeuntem, & Mariæburgum excurrentem, in via offendit, quem Vormdittum usque reduxit, a quo deinde tenerrimis litteris Mariæburgum fuit vocatus, ut ibi Confilio intereffet & litteras a Collegio Epifcoporum ad Nuntium Apoftolicum datas, fubfcriberet. Varia ibi quoque quærebantur media, quibus Zalufcius placari poffet, cum, illa vero honoris præiudicio effent coniuncta, libentius omnia pati voluit adverfa, quam pacta quædam inire, quæ ei aliquando præiudicio effe poffent. Regreffus igitur eft, ut Comitiis Pruflicis intereffet, quæ intra 12. dies fuerunt finita.

Cum anno 1709. poft infeliciffimam pro Suecis ad Pultavam pugnam, Auguftus in fuum rediret regnum, Thoruniumque veniffet, Zalufcius Nofter ad eum eft profectus, initio quidem fronte rugofa atque caperata fuit exceptus, Rexque ei dixit, fe mirari, quod Thorunii effet, cum eum Romæ

credidiſſet, poſt aliquot vero dies, illi explicatam & porrectam oſtendit frontem, & in ſummo eum habuit affectu, Miniſterium quoque ſuum ſtatim iterum exercuit, a Rege quoque, Petro I. Ruſſorum Monarchæ, fuit præſentatus. Poſtea iter Varſaviam arripuit, ibique fratrem ſuum, Palatinum Ravenſem, expectavit. Ex hoc tempore de corporis infirmitate nonnunquam eſt queſtus, ſæpeque dixit, nunc contentus moriar, quia innocentia mea apparuit, & ego in munus meum cum honore ſum reſtitutus, mors me iam expectat, neceſſe eſt, ut ſim paratus. Eventus eſfatum hocce probavit, anno enim inſequenti, præter omnium opinionem e vivis fuit ereptus.

Cauſa tam præcipitis fati fuiſſe videtur, quadrageſima ſolito ſtrictius, in viliorum eſu ciborum traducta, & in continuis Collegiatæ *Gutſtadienſis* variarum devotionum exercitiis finita, inter cuius ferias, omnibus Eccleſiæ ſolitis cæremoniis, ipſe in perſona, licet ſatis iam eſſet ægra valetudine, rite exactis, dolorem fluxumque oculorum ipſo Paraſceves die, contraxit, quo tamen ſpreto, ille & ſequenti ſabbatho Sancto, a paſtoralis pietatis non deſtitit propoſito, donec non ſine magna omnium ædificatione, omnes finiviſſet ritus. Dominica Paſchatis, ingraveſcente malo, in privato Oratorio hoſtiam Deo litare fuit coactus. Poſtea tamen melius ſe habuit, & ille credens, ſe iam ægritudine eſſe ſolutum, exactis *Gutſtadii* feſtis Paſchalibus, *Brunsbergam* eſt profectus. Poſt collatos aliquot Pontificii & Diœceſani Seminarii alumnis minores ordines, *Frauenburgum* ad Eccleſiam Cathedralem, negotia quædam abſoluturus, an verius præſago quodam naturæ inſtinctu, ultimum vale ſponſæ ſuæ dicturus, excurrit, & omnibus conſueto lætior & vegetior eſt viſus.

Regiomontum potiorem ſubſtantiæ ſuæ partem, ſecuritatis gratia depoſitam, diſpoſiturus, quaſi præſcius futuri, ivit. Et certe non ſine interno quodam animi præſagio, toto enim anno 1710. omnia in eum finem agebat dicebatque, ac ſi ſequentem non eſſet victurus. Hinc & teſtamentum, non ſine reflexione ad ſingulas circumſtantias confectum paratumque habuit, in quo præter diſpoſitionem ſubſtantiæ piaque legata, omnem pompam funebrem ſeveriſſime inhibuit, ſimplici, abſque ullo faſtu, tumbâ contentus, etiam Epitaphium, præſentem exprimens annum reliquit, hoc Chronoſtico, Hic iacet AndreasEpiſcopus. Con CVLCate PeCCatoreM ZaLVskI aC pro eo orate. Regiomonti prima ſtatim adventus ſui
nocte

nocte, ſtomachi viſcerumque inſperatus dolor eum invaſit; tertia Apr: Gutſtadium eſt reverſus, morbusque invaluit, iuſſit igitur Medicum *Saint Blancard* dictum, natione Gallum, quo ſæpe iam antea erat uſus, Regiomonto vocari, qui die 27. eiusdem menſis adveniens, poſt venae ſectionem, omnia media congrua adhibuit, non tamen ſine metu, quia ſigna quædam lethargi obſervaverat, die 29. Apr. ſupervenit *Roſtkovius*, Luceorienſis Suffraganeus, a Zaluſcio ſummopore deſideratus, & expectatus, qui poſt amica colloquia, animæ & ſubſtantiæ diſpoſitionem ei ſuaſit. Æger vero ſuſpicans, ex hac inſinuatione aliquid ſibi imminere periculi, medicum eſt adhortatus, ut ei ſincere aperiret, quid de ſtatu ſuo ſentiret, hic reſpondit, rem eſſe inter ſpem & metum, ſuaſitque, ut alios adhuc vocandos curaret Medicos, pro conſilio habendo, ſed ille hoc conſtanter recuſavit. Varia deinde *Roſtkovio* animi revelavit arcana, inter alia, quod ob Epiſcopatus ſui oppreſſiones, metuensque, ne poſthac graviores adhuc venirent, ſibi in Coadiutorem (Regis Poloniæ inſtantiâ) adſciviſſet, Ducem Saxo Cizanum, Hungariæ Primatem, ea tantum ductus ratione, ut ipſe, pro ſua maiori authoritate, ulteriori Epiſcopatus ruinæ occurrere poſſet. Ob perturbatum Reipublicæ ſtatum, quoque animo conſtituerat, reliquos vitæ ſuæ dies in quiete, pœnitentia ac mortis meditatione finire, huncque in finem Sigillum in manus Regis deponere voluit, obtenta iam ab eo ſponſione, quod Sigillum minus perſonae a *Zaluſcio* electæ, eſſet collaturus, ad quod munus iam pridem dictum modo Suffraganeum *Roſtkovium* in corde ſuo deſtinaverat. Reſignato vero ſigillo retentaque aliqua ex Epiſcopatu penſione, ad privatiſſimum ſecedere voluit locum. *Ancona* præ aliis ei placebat, quia hic locus tempore ſui exilii, oculos ei aperuerat, ut penitius ſe mundumque cognoſcere didiciſſet. Omnia tamen aliter evenerunt, Zaluſcius quidem propoſuit, Deus vero diſpoſuit. Morbo enim per noctem ingraveſcente, mundanis cogitationibus valedixit æternaque cogitavit. Altero die mane, cum ſignis ſummi doloris eſt confeſſus, & a *Roſtkovio*, in aſſiſtentia totius Cleri & Canonicorum Eccleſiæ Collegiatæ in ſpiritu humilitatis, & animo ad pietatem compoſito, flexis in terra genibus, ultimam S. Corporis Chriſti ſumſit ſynaxin, & mox in lecti margine ſedens, extremam accepit unctionem. Cum deinde *Roſtkovius* iterum de ſubſtantiæ teſtamento aliquid inſinuaret, æger vanitatum mundiiam pertaeſus, Palatinum Czerniehovienſem, fratrem Germanum, ad ſe invitari iuſſit, in cuius manus teſtamentum tribus obſe-

ratum sigillis, consignavit. Reliquum postea tempus ad pias lectiones fuit adhibitum, die tandem 11. Maii circa horam secundam post meridiem vicina mortis signa & languorem sentire cœpit, ad mensam deductus, Capitulo ante se genu flexo, benedixit, sed verba amplius proferre non potuit, ad lectum reportatus, supinus & immotus ad finem usque iacuit. Post horam quintam in Lethargum incidit & Medico attestante, nihil iam audivit & percepit. Orationes tamen ab assistentibus continuabantur, in eo Lethargo sensim fatiscentem viribus, & gradatim debilius respirantem ad extremumque deductum, post horam secundam matutinam cadavereus infuscavit color. Et sic magnus iste Præsul, Ecclesiæ Columna, Patriæ lumen, familiæ decus, Patientiæ exemplum, quietè, sicut optavit, omnibus munitus sacramentis, optimeque dispositus in assistentia totius Cleri sui, viam æternitatis anno ætatis suæ sexagesimo est ingressus.

OPERA EIUS SUNT

1. Epistolæ Historico-Familiares sive acta publica in Regno Poloniæ ab Anno 1663, ad annum 1710. collecta, Tomisque III. Braunsbergæ in fol. Anno 1709. 1710. & 1711. impressa.

Hoc opus maximæ est utilitatis & summæ raritatis. Bello enim Suecico, Sueci, occupata Braunsberga, non tantum totas librorum in Sueciam abduxerunt vecturas, sed miles imprudens multos quoque in usum suum adhibuit, & ex eis cylindros ad pulverem sclopetorumque glandes inmittendum fecit, quod præcipue de hoc opere dici potest, inde factum est, ut nonnulli Tomi integri manserint, multi vero mutilati, adeo, ut de nonnuno centum & plus folia defecerint. Reliquiæ tandem Thorunii in auctione Anno 1733. publice fuerunt expositæ, quas Jacobus Korn, Bibliopola eximius Vratislaviensis, de Polonia litterata optime meritus, emptionis iure acquisivit, deficientes paginas reimprimendas curavit, optaremus quoque, ut indicem generalem, qui ab eius nepote moderno Episcopo Kioviensi confectus esse dicitur, operi suo adiiceret.

2. *Nauki Chrześciańskie* h. e. doctrinæ Christianæ, id est 1683. sententiæ ex libris Sancti Augustini excerptæ ex latino in linguam Polonicam translatæ. Duæ prostant editiones, altera prodiit Varsaviæ in 4. Anno 1686. altera Calissii 1730. in fol.

3. *Przewodnik grzesznika* h. e. Dux peccatoris ex Hispanico Lud. Granatensis translatus, prima editio lucem aspexit Lublini in 4. 1687. altera ibid. 1730.

4.

4. *Wzgarda prozności świata y omiłości boskiey.* h. e. Contemtus vanitatis mundi & de amore Dei. Hic liber quoque ex Hispanico Ludovici Stellæ Polonice est translatus. Prima editio apparuit Cracoviæ 1690. altera 1730. fol.

5. *Pamiątka albo obraż prawdziwego Kapłona* i. e. Imago veri Sacerdotis ex lat: Jos: Mansi Congr: orat: Rom: transl: prima edit: prodiit Varsav: 1709. in 4. altera edit. 1730. fol.

6. *Prawdy Wieczne.* i. e. veritates æternæ, ex Ital. Card: Rosignoli S. J. translatæ. Tres prostant huius libelli editiones prima prodiit Varsaviæ 170. in 4. altera impressa est Calissii 1703. in fol: Tertia luci publicæ fuit exposita Vilnæ 1703. in 4. 1707 Vilnae 1707

7. *Rozmyslania Krociusieńkie Chrześciańskie na każdy dzień miesiąca* i. e Meditationes brevissimæ Christianæ in omnes dies mensis ex Gall: P. Domin: Bouhoursii S. J. transl: Vars: 1701. in 16,

8. *Krotkie y Nabożne na każdy dzień całego roku rozmyslania,* i. e. breves & piæ in omnes dies totius anni meditationes, ex Gallico transl: Vars: 1702. in 4.

9. *Korona Miesięczna, albo nauki y uwagi Chrześciańskie na każdy dzień miesiąca z francuskiego* i. e. Corona menstrua seu doctrinæ & cogitationes Christianæ in omnes dies mensis ex Gall: prima Editio prodiit 1704. altera Calisii 1719.

10. *Pokazanie iako powinnien Chrześcianin myślić y pilno chodzić koło zbawienia duszy swoiey, z francuskiego Braunsb.* 1704. in 4 id est: Demonstratio, qua ratione Christianus cogitare & sedulo curam gerere debeat salutis animæ suæ ex Gall: Renati Rapini Soc. Jes. L'importance du salut. transl:

11. *Reflexye nabożne nad męką y śmiercią Chrystusa Pana pod czas postu y w piątki całego roku, Brunsbergæ* 1705. in 4. id est Meditationes Piæ in passionem & mortem Christi tempore ieiuniorum & diebus veneris totius anni ex Gall: Anonymi Congregat. Oratorii Gallicani transl. in 4.

12. *Ulga w Krzyżach,* i. e. levamen in cruce. ex Italico Joannis Petri Pinamonti Soc. Jes. transl. Tres prostant editiones, prima, prodiit Braunsbergæ 1706. altera ibid 1709. Tertia Sendomiriæ 1728.

13. *Uwagi Chrześciańskie albo Rozmyślanie krotkie na wszystkie dni w roku y święta uroczyste.* id est. Meditationes Christianæ seu cogitationes breves in omnes dies anni & festa maiora Brunsbergæ 1706. 4. vol in 4. Author Anon. est Celeb. Io. *Crasset* S. I.

14. *Hystorya starego y nowego testamentu* i. e. Historia Vet: & Nov: Testamenti, ex gallico Domini Saci (id est Isac. le Maitre) Transl: Brunsberg. 1709. in 4. ex Varsaviæ in 8.

15. *Reflexie XXIV. o Miłosierdziu Boskim* id est. Meditationes XXIV. de misericordia Dei, ex Gallico Ludovicæ Mariæ Principis de la Valiere, deinde Carmelitanae Discalceatae transl: fol:

16. *Westchnienia duchowne* h. e. Actus iaculatorii & suspiria sacra ex lat. Petri de Campis novis S. J. it. Disciplinæ sacræ P. Caspar. Drużbicki S. J. & meditationes Christianæ in omnes dies mensis. Caliss. 1730. fol:

17. Meditationes in varios textus scripturæ sacræ de contemtu mundi eiusque vanitate tribus libris & 300 capitibus comprehensæ, quarum 120. ex hisp. Didaci Sellia transl. & 180. a Zaluscio nunc sunt adiecti. Caliss. & Varsaviæ anno 1731. fol.

18. Quadraginta Conciones collectæ cum additamentis ad l. edit. Varsaviensem anno 1696. impressam. Secunda editio hæc prodiit Calissii 1718.

19. *Mowy na radach y Seymach rożnemi czasy miane.* h. e. Orationes in Consiliis & Comitiis habitae, Post primam Olivens: 1689. in 4. altera editio prostat, Calissii in fol. & tertia Calissii 1718.

20. Orationes variæ (nuptiales & funebres) Varsaviæ 1690. in 4. & solæ nuptiales recusæ Calissii 1730.

XXVIII. NICOLAUS SWIENCICIUS
Armorum Accipitris (Jastrzębiec.)

Hic ex antiqua Massoviæ familia oriundus, paternis & avitis institit vestigiis. In iuventute Philosophiæ & omnibus liberalibus disciplinis diligenter incubuit, historiæ vero legibusque Patriæ præ aliis operam dedit. Postea Martis aleam est expertus, sed non optato successu, amore demum in Musas ductus, armis valedixit, & omni diligentia studia denuo tractavit, inde quoque maiorem fructum & honorem habuit. *Radzieiovius* enim, Regni Poloniæ Primas & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, eius animi dotes plene cognoscens, eum inter aulicos suos recepit, magnoque semper prosequutus est amore.

Principis huius quoque hortatu statum ecclesiasticum est amplexus. Paulo post Abbas Tremesnensis est factus, magnique Protectoris sui commendatione, Decanus Gnesnensis & Posnaniensis fuit electus, & dignitate Scholastici & Officialis Generalis Varsaviensis decoratus. Quia in Tribunali Regni, Regis partes fortiter erat tutatus, ab eo quoque anno 1691. ad Episcopatum Kioviensem fuit nominatus, sed ob expedi-

tionem

tionem tarde Romā venientem, & Regis mortem intervenientem 14. Aprilis demum anni 1797. a fautore suo *Radzieiovio* Regni Primate, *Vitvicio* Posnaniensi, & *Zaluscio* Plocensi Episcopis, assistentibus fuit consecratus, vigesima vero Maii eiusdem anni in Campo Electorali in Primatis manus iuramentum Senatorium coram Senatu explevit, & paulo post Nuntium Apostolicum in dictum Campum, Senatus iussu cum *Zaluscio* Plocensi Episcopo ad audientiam duxit. Tempore subsequentis interregni a partibus Principis *Conti* stetit, & cum in Ecclesia Abbatiæ Olivensis securitatis gratiâ maneret, inde tamen per milites fuit extractus & curru Gedanum deductus, suppellex vero eius direpta militibus in prædam cessit. Vix tandem a Regina vidua Gedani tunc degente liberatus, rede undi accepit facultatem. *a.*

Cathedræ Kioviensi magna dexteritate & religione præfuit. Anno 1698. Regis *Augusti* benignitate ad Episcopatum Posnaniensem fuit translatus. In turbulento eorum temporum statu, cum *Radzieiovio* Promotore & amico suo coniunctissime vixit & nihil sine eius consilio fecit, ideoque cum eo dubiam], quin imo adversam fortunæ aleam est expertus. A *Stanislai* partibus fortiter semper stetit & pacta inter hunc Principem & *Carolum* XII. Sueciæ Regem anno 1705. facta & inita, manu sua subscripsit. Detectis denique consiliis, quæ cum Suecis, in Regis *Augusti* perniciem habuerat, ab hoc Principe captus, Romam fuit missus, ut ibi pro hoc suo ausu puniretur.

Mœrore & tristitia magis quam ætate attritus & confectus, anno 1709. dicta in urbe placidâ obiit morte. *b.*

Græcorum status sub *Prażmovio*, *Zaluscio* & *Swięcicio* nostro satis fuit tranquillus. Joannes III. enim, unitis Romanæ Ecclesiæ omnes libertates ab Antecessoribus concessas Privilegio confirmavit, & ut unionem interruptam restitueret, Synodum Lublini convocandam voluit.

Kolędam Metropolitam Kioviensem, in hac dignitate exceperat *Cyprianus Zochovius*, vir, doctrinâ magnaque rerum experientiâ clarus Hic cum Clero suo unito, tempore statuto Lublini magno aderat numero, multi quoque Græcorum magnaque nobilium multitudo eó confluxerat. Græci vero, ne res tam salutaris ad optatum perduceretur effectum, dilationem petebant, quâ a parte altera recusatâ, ad alia effugia recurrebant, alii enim volebant, ut Synodus Varsaviam transferretur, alii instabant ut Lublini haberetur. Hoc rerum statu, nullus fructus sperari poterat, & Synodus tandem non sine magno Uni-

 torum

a. Zaluscius in Epistol: T. III. p. 466.
b. Orlovius p. 101.

torum dolore magnisque ſumptibus fuit diſſoluta. Sicut hæc omnia ex deſcriptione, quam Zochovius ſub titulo, *Acta* Colloquii a Præſulibus Ruthenis S. ſedi Apoſtolicæ Romanæ unitis, cum iis, qui ab Unione diſſident anno 1680. die 24. Iun: in Civitate Lublinenſi inſtituti, Typis promulgavit, clare patent.

Joſephus Antonius *Zagielſcius*, novam horum Actorum Editionem anno 1752. Vilnæ apud Patres Societatis Jeſu in folio impreſſam publicavit. Hic quoque Magni iſtius *Zochovii*, Archi-epiſcopi Kiovienſis totiusque Ruſſiæ Metropolitæ Opera omnia, partim Rutheno, partim etiam Latino ſermone conſcripta, in folio integrum in Volumen colligere, Civiumque conſpectui exponere ſtatuit.

Sub hoc Metropolita, Anno 1686. pax cum Moſcis eſt ſecuta. Sed quia inter Senatores, qui eam tractabant nullus Ordinis Eccleſiaſtici fuit, pax iſta Eccleſiæ Dei & Dioeceſi Kiovienſi magno fuit detrimento, in quatuor enim Ducatus Kiovienſem nimirum, Czerniechovienſem, Novogrodenſem & Smolenſcenſem Religio Græca fuit translata, & quod maxime dolendum, Provinciæ iſtæ in Moſcorum ditione fuerunt relictæ. Palatini Kiovienſes fuerunt. Andreas Potocius & Stephanus Niemierzyc.

a. Nieſiecius Tom. IV. p. 86.

XXIX. JOANNES PAULUS
A Gomolin Gomolinſcius Armorum Ielita.

NOn minus hic ingenio, quam natalium ſplendore fuit nobilis. Studia in Collegio Braunsbergenſi poſuit, adeoque feliciter, ut ab omni corona laudatus, acerrimos inde ſibi ſtimulos admoveri ſentiret, ad ea gnaviter perſequenda, quæ tam auſpicato cæperat, cum elegantioribus Muſis habere commercia, Romam poſtea profectus, doctiſſimos ibi viros ſibi conſuetudine iunxit. A Patre domum redire iuſſus, apud omnes magnâ pietatis morumque laude floruit.

Rex de hoc certior factus, ei inter Secretarios ſuos locum aſſignavit & Capitulum Plocenſe eum Archidiaconum ſuum nominavit. Poſtea quoque Officialis Generalis Gedanenſis fuit deſignatus & Abbatia *Wąchocenſi* donatus.

Tandem ab Auguſto II. Rege optimo, anno 1698. Epiſcopus Kiovienſis fuit nominatus & hac ſparta ornatus, legatus extra ordinarius, Viennam fuit miſſus, ubi Provinciâ ſua ſumma cum laude eſt perfunctus Anno 1700. die 27. Maii, cum Zaluſcio, Varmienſium Antiſtite, Roma redeunte in Patriam eſt

rever-

reverſus, & eodem adhuc anno, Præpoſituram Plocenſem obtinuit. Rex ei Anno 1702. Cathedram Præmislienſem deſtinaverat, poſtea tamen Ioannes Caſimirus ab *Alten Bokum* ei fuit antelatus. *a.* Turbarum domeſticarum tempore, Stanislai partes ſuſtinuit, ab eoque valde fuit amatus, & ad Epiſcopatum Poſnanienſem iam fuit nominatus, quem tamen non aſcendit, Anno enim 1711. cum magno Patriæ & Eccleſiæ damno & dolore, morte præmatura fuit ereptus. Vir erat omnibus numeris abſolutus, Verus fidei zelator, Patriæ amicus & Defenſor, multisque animi dotibus præditus, liberalitate in egenos & pauperes, æque ac prudentia & eloquentia inſignis. *b.*

In Metropolia Kiovienſi exceeperat Zochovium Leo *Załęski*, Vlodomirienſis Epiſcopus. Hic maiorem in opere unionis vidit fructum, quam eius Anteceſſoribus totique Poloniæ per tam multas variasque inſtitutas Synodos videre licuit: Omnes enim fere Ritus Græci Epiſcopos in Polonia exiſtentes ad Sanctam perduxit unionem, ad quod non parum contribuit profunda eius eruditio, vitæ integritas, ſummaque loquendi ſuavitas, qua pius iſte Præſul præ cæteris pollebat. Mortuus eſt anno 1703.

Palatini Kiovienſes fuerunt.

Martinus Kącki, Joſephus Potocius.

a. Orlovius p. 102.
b. Nieſiecius Tom. II. p. 186.

XXX. VALENTINUS MATTHIAS
Arcembergius, Armorum Arcemberg.

NObilis hæc & antiqua familia a Paprocio & Okolſcio neglecta, in Pomerania multis iam ſeculis floruit. Valentinus a Patre Stanislao genitus, labore, induſtria, longoque rerum uſu, viam ſibi ad Regis amicitiam ampliſſimasque dignitates patefecit.

Sacris Ordinibus initiatus, fautorum promotione Abbas Pokrywnicenſis eſt factus. Poſtea Cathedræ Poſnanienſis Præpoſitus, Abbasque Sieciechovienſis fuit deſignatus. Regis nominatione Anno 1711. Epiſcopatum Kiovienſem accepit & Cathedræ Suæ ſumma fidelitate & dexteritate præfuit. Vir enim erat acris ingenii, ac iuris patrii peritiſſimus. Diverſorum negotiorum tractatione Regi & Magnatibus quin imo & Populo chariſſimus. Anno 1717. e vivis fuit ablatus, & in Conventu, deſerti cognominato, qui ſub titulo S. Patris Franciſci in Maiori Polonia Provinciæ Reformatæ floret, fuit ſepultus, magnum deſiderium ſui relinquens. *a.*

Poſt Załęski, Metropolitæ Kiovienſis mortem, Georgius *Winnicki* Epiſcopus Premyslienſis in ejus locum fuit ſubſtitutus

a. Nieſiecius T. I. p. 26. Orlovius in Vindiciis pag. 102. & 103.

ſtitutus. Hic prudentia ſua Ruſſiam in unione adhuc magis, magisque confirmavit.

XXXI. JOANNES COMES
a Czekarzowice Tarlovius, Armorum Bipennis.

HIc ex antiquiſſima Tarloviorum gente, nec minus virtute & ſanguine, quam meritis in Eccleſiam & Patriam præſtitis illuſtri, ortus, Patrem agnovit Ioannem Sandomirienſium Palatinum. Primos iuventutis ſuæ annos apud Patres Societatis Ieſu peregit, poſtea altiora ſtudia adgreſſurus, Romam adiit & doctiſſimorum virorum ductu, egregios in litteris, præcipue in Theologia fecit progreſſus. Animi candor, comitas ſuavis, multæque aliæ virtutes, omnibus eum commendabant. Vrgente vero domeſtica neceſſitate, in Patriam redire erat coactus, & poſt varios Eccleſiæ gradus, Archidiaconus Cracovienſis fuit nominatus. Anno 1710. Auguſtus II. eum Kiovienſium Præſulem creavit, Hic Eccleſiæ propugnatorem, hæreſum exſtirpatorem ſe oſtendit. Fide ſua tali modo probata, Rex eum anno 1722. ad Pontificatum Poſnanienſem translocavit, ibi adhuc maiora pro Eccleſiæ libertate gentisque gloria perfecit. In domo enim ſua regnabat ſanctitas, in pectore religio & candor, in vita ſinceritas & integritas. Vindobonæ, in reditu ex itinere Romano, anno demum 1732. pia & tranquilla morte obiit *a*.

a. Nieſiecius Tom. IV. p. 246. Orlovius in Vindiciis p. 203.

XXXI. SAMUEL IOANNES
De Oſſa Ożga Armorum Rawicz.

OZgarum familia ex vetutiſſima & nobiliſſima Ravitarum gente provecta, a pago Ozga dicto nomen accepit, & ad quadringentos fere annos continuata militarium & togatorum virorum ſerie, inter equeſtres Ruſſiæ Rubrae viros, honeſtum locum tenuit.

Samuel a Patre Georgio, Leopolienſi Pincerna progenitus, a prima ſtatim adoleſcentia bonis literis egregie fuit imbutus. Ornabat eum incomparabilis morum candor, vera pietas & literarum amor flagrantiſſimus. His ille ornatus dotibus, ad Sacrum acceſſit ordinem & paulo poſt Praepoſitus Leopolienſis & Scholaſticus Chelmenſis fuit nominatus. Saepe Tribunali Regni adfuit, ibique pro iuſtitia maſcule eſt locutus. A Rege Auguſto ad varia adhibitus fuit negotia, qui eum quoque Tarlovio ad Poſnanienſem Epiſcopatum translato, Kiovienſium Pontificem deſignavit. Quia poſt Auguſti II. mortem fortiter a Stanislai partibus ſtabat, huius Principi poſt Aug. III.

Eccle-

Electionem adhærebat, Non ausus est post Comitia Pacificationis Aulam frequentare Hoc luculenter patet ex scripto quodam, hoc sub titulo impresso. Publica, fidorum Patriæ suæ Civium, extra Patriam in finibus Moldaviæ degentium, Protestatio, communicato, cum confœderata ac ad latus Serenissimi Stanislai I. Poloniarum Regis subsistente Republica Consilio, conscripta Anno 1735. 6. Aug. in quo Nomen, Ożga primum occupat locum.

Amore erga suum sibi commissum gregem ductus, relicta aula, unice pro Ecclesiæ suæ bono laboravit. Prima eius cura erat, ut oves sibi concreditas propius cognoscerct & ab illis vicissim propius cognosceretur, id quod pauci antecessorum suorum fecerunt.

Necessitas summa hoc quoque requirebat, sicut ex recensione, quam Orlovius de Kioviensis Diœcesis statu facit, clare elucet *a*.

Scire enim oportet, quod Provincia Ukrainensis, Diœcesis Kioviensis scilicet, plena quidem hominibus, sed iumentis & brutis insipientibus comparatis, pro tunc exstabat, in qua vix vestigium fidei & veræ Religionis puritas reperiebatur. Et quamvis Polonus populus, soli fertilitate illectus, & illo tempore illuc confluebat, quia tamen nullæ ferme Ritus Latini Ecclesiæ ibi fuerunt, populus Sacris eius addictus, aut consolatione spirituali & Sacramentorum usu privaretur, aut Schismaticorum morem sequi, illorumque ritum amplecti cogebatur. Proinde animae, pretioso Christi sanguine redemptæ, a vero pastore aberrantes, in infelici & miserrimo salutis reperiebantur statu. Nullus Diœcesis Ordo, nullum Ecclesiae regimen, nulla denique obedientia, maxima é contra vitia & scelera stupenda orbique inaudita ubique dominabantur. Poligamiae, bigamiae tunc temporis scelus erat commune, mariti, si uxores in aliquo malas deprehendissent, eas vendebant, vel cum alia melius convenienti, pretio statuto, commutabant, aliquando correctas recipiebant. Concubinatus, adulteria, specie honesti commercii habebantur, nulla Sacramentorum reverentia, nulla divinarum rerum, cultusque divini observantia, sed publica regnabant scandala. Cætera quid attinet scribere? ad quæ stupet animus, nec ea exprimere audet calamus.

Hoc pessimum malum ex eo præcipue hanc occupaverat Diœcesin, quia longo tempore Antistitum nullus, suas cognoverat oves, nec istæ suum cognoverant pastorem. Capitulum erat extra Diœcesin, Diœcesis extra Sacerdotes.

Tristi & deplorando hoc rerum statu, pius optimusque noster Præsul, qui verus fidei est nominandus Propagator, Diœce-

a. In Defensa Biskupstwa y Dyecezyi Kiiowskiey 107. seq.

oecesisque reformator & amplificator, anno 1724. Ecclesiarum suarum instituit visitationem, sed antequam tam salutare adgrediebatur opus, prius, Capitulum Cathedrale Kioviense, quod Lublini celebrari erat solitum, ex eodem loco ad propriam Dioecesin, nempe Zytomiriam transtulit, congregatum enim alloquens, talia effatus est verba: *Veniamus fratres, operemur iunctis viribus bonum, professio enim nostra hoc postulat.*

Tandem designato tempore, arripuit in Ukrainam iter, stipatus, utriusque authoramenti, numerosis militibus quos tam autoritatis, quam securitatis gratia adhibuit. Vix primum Dioecesis attigit limen, cum magnum inveniret campum, doctrinae catholicae & fidei orthodoxae seminandae.

Confluebat enim non tantum copiosa multitudo Polonorum ibidem degentium, sed ipsimet Rutheni, quamvis Schismate infecti, praecipue eorum infantes, quos praesul & pastor optimus, variis donis captabat & ad verbum Dei & religionis instructionem alliciebat. Ubicunque per totam Dioecesin olim fuerant Ecclesiae Parochiales, illis in locis pius ipsemet Pastor Missae Sacrificium sub tentoriis absolvebat, & officium defunctorum cum clero decantabat.

In Ecclesiis Ritus Graeci pontificaliter celebrabat, confirmationis Sacramentum populo conferebat, quare etiam Schismatici permoti, prius quidem tantum mirantes, postea optimis instructi monitis, sedulo, devotioni & doctrinae cathechisticae aderant, per quod Sanctae unioni maius accessit incrementum, & magna messis in Christi vinea est aperta. Ecclesias Parochiales Chwastoviensem & Babicensem, non tantum fundavit, sed etiam omni supellectili argenteâ, apparatuque vario ecclesiastico, dotavit.

Visitando Dioecesis, Ecclesiis Cudnoviensi, Korestessoviensi, Berdyczoviensi, Kubarensi, Białocierkieviensi, varia dona, sivè in calicibus argenteis deauratis, sive in pixidibus sive in apparatu, unicuique iuxta suam liberalitatem obtulit,

Idem hoc Ecclesiis Ritus Graeci, in quibus Pontificaliter Missae Sacrificium celebrabat, praestitit. De Cathedrali Ecclesia, quam Zytomirii, magno sumptu exstruendam curavit, iam supra sumus locuti. Cum tandem optimus ille Praesul exantlatis viribus, oves suas non amplius tam diligenter frequentare posset, in laboris sui socium sibi elegit Iosephum Augustum Czarnecium, Episcopum Domitiopolitanum, qui Suffraganei vices gerens, Dioecesin istam iterum visitaret, sed paulo post, magno Episcopi nostri dolore in oppido Robczyce Dioecesis Cracoviensis, morte inopinata

fuit

fuit ereptus & Iaroslaviæ ad Sanctam Mariam dolorofam Patrum Societatis Iefu, eft fepultus.

Poft cuius fata, ad hocce munus fuit vocatus Antonius Tyfzkievicius, Magni Ducatus Lithuaniæ tunc temporis Secretarius & Canonicus Vilnenfis, fed uno eodemque fere tempore Samogitiæ Epifcopatum obtinuit.

Iofephus igitur Antonius in Łafzczow Łafzcz, Epifcopus Antipatrenfis, Cancellarius Gnefnenfis, Abbas Hebdovienfis ad hoc munus fubeundum fuit electus, & paulo poft Epifcopus Coadiutor cum futura fucceffione Kiovienfis & Czerniechovienfis Cathedræ fuit defignatus. Hac dignitate Diœcefin Kiovienfem vifitavit & poft magna Capitulo Kiovienfi, præcipue ratione Mozettarum & infignium Crucis, præftita Officia, adhuc pro Vicariis ad Ecclefiam Cathedralem Kiovienfem, quæ Zytomirii eft, fummam 12000. flor. legavit, anno vero 1748. Cal: Febr: morte fuccubuit.

Poft eius obitum pius & infirmus nofter Præful, Adamum Komorovium, Epifcopatus fui Coadiutorem accepit, qui vero antequam gregem fuum cognofcere poterat, fortuna favente, ad altiores afcendit dignitates, Regis enim benignitate Archiepifcopus Gnefnenfis Regnique Primas fuit nominatus

Novus igitur poft tam multos iterum quærendus erat Epifcopo noftro, fenio & labore confecto, Coadiutor, & contigit optimus. Regio enim confenfu *Caietanus Ignatius Soltyk*, Emaufenfis Epifcopus ad hoc munus fuit defignatus, qui que poft piam, magni & æterna memoria digni Præfulis noftri mortem, quæ anno 1750. eft fecuta, dignus dignitatis & virtutum eius fuit fucceffor. In Metropolia Kiovienfi excepit Georgium Winnicium, Leo Kifzka. Hic Synodo anno 1720. Zamofcii, præfente Grimaldo, Nuncio Apoftolico habita, Ecclefiæ unionem, unanimi Epifcoporum confenfu novis legibus auxit firmiusque fundavit, quæ quoque ad noftra usque tempora floret: Magni huius Præfulis vitam defcripfit fæpe iam laudatus Zagielfcius, Eques Ruthenus, quæ Anno 1742. Supraslii eft impreffa.

Poft Leonis Kifzkæ deceffum, Metropoliam Kiovienfem occupavit Athanafius Szeptycki, qui tempore dictæ modo fynodi, Leopolienfis erat Epifcopus, & multum ad unionem contribuit.

CAIE-

XXXIII.

CAIETANUS JGNATIUS,

e Ducibus *Soltykiis*, Comes SOLTYK, Episcopus Kiovienſis & Czerniechovienſis.

E principe Roxolanorum familiâ, ipſis Moſcorum Imperatoribus cognatione annexâ, genus ducit. Patrem habuit Ioſephum Comitem SOLTYK, Caſtellanum primo Belzenſem, dein Lublinenſem, graviſſimum Regni Senatorem, qui magni illius Theodori POTOCII, Archiepiſcopi Gneſnenſis, totiusque Poloniæ Primatis, ſanguine ſibi coniuncti, aulam ſingulari cura, eximiaque auctoritate eſt moderatus. Matrem nactus Conſtantiam, filiam Alexandri Comitis DRZEWICII, Palatini Lublinenſis, fœminam animi virtute non minus, quam formæ decore præſtantem. In huius ſinu indulgentiaque educatus, per omnem litterarum humaniorum cultum, pueritiam tranſegit. Iuvenis, ob egregiam indolem, ingenuosque mores, Principi ipſi POTOCIO mire commendatus, & admodum carus fuit. Sumtaque ſacerdotali toga, ab Archipræſule illo, mox Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Lovicienſis Canonicus eſt renunciatus. Brevique ſpatio interiecto, eodem conciliatore, Scholaſticus Lancicienſis creatus. Tunc eius hortatu Romam, ſedem ac magiſtram ſtudiorum profectus, optimosque cum divinæ, tum humanæ ſapientiæ profeſſores conſecutus, tantos fecit in omni graviori doctrina progreſſus, ut ſummos ibi Præſules, ipſosque Patres Purpuratos in ſui admirationem converteret, qui huncce iuvenem, maximum Eccleſiæ Polonæ lumen futurum, haud irrito omine augurabant. Unde ingenti animi voluptate perfuſus, Princeps & Archipræſul POTOCIUS, abſentem eum Canonici Metropolitani Gneſnenſis honore ornavit. Reverſum autem in patriam, Joannes Alexander LIPSKI, S. R. E. Cardinalis, & Antiſtes Cracovienſis, in Cathedralium ſuorum Canonicorum collegium cooptavit. A patruo deinde, Mathia Comite SOLTYK, Epiſcopo Margaritenſi, & Suffraganeo Culmenſi, Præſule ſummæ probitatis ac ſanctimoniæ laude conſpicuo, Præpoſituræ Gneſnenſis Coadiutor adſcitus, in ſupremo Regni Tribunali, quod Petricoviæ & Lublini agitur, Præſidis vicem tanta prudentiæ iuſtitiæque ſupplevit opinione, ut ampliore quocunque in Republica munere dignus exiſtimaretur. Mortuo POTOCIO, Primatum Poloniæ maximo, totum ſe LIPSCIO Cardinali tradidit. Qui hunc iam ſum adoleſcentem, graviſſimorum ſuorum negotiorum ſocium, conſiliorumque omnium participem habuit, tantum-

que

que virtuti eius confidit, ut, cum acerba & immatura morte rebus humanis eriperetur, supremæ voluntatis suæ eum constitueret interpretem atque exsecutorem. Non longo, post LIPSCII Cardinalis obitum, intervallo, dimissam à patruo suo Præposituram Gnesnensem, nobilissimum totius Regni Poloni sacerdotium, occupat. Eoque ferme tempore, à SAMUELE OZGA, Kioviæ & Czerniechoviæ Antistite, religionis ac disciplinæ ecclesiasticæ studiosissimo, fesso tamen senectute ac penitus confecto, Episcopalis muneris officiique socius desideratur. BENEDICTUS, cælestissimæ hujus appellationis XIV, Maximus Romanorum Pontifex, & AUGUSTUS, tanti nominis III. Rex Poloniarum, benigne annuêre, simulque ei ius futuræ successionis attribuêre. Sic, Præsulis Emmausensis titulo insignitus, amplissimum Episcoporum ordinem ritu solemni ingreditur. A Kioviæ Proceribus, omnique Nobilitate, & universo populo, ingenti suscipitur laetitia plausuque. Accepta verò, à Præsule sene, pastorali omni cura & auctoritate, in obeundo atque implendo Coadjutoris munere, cum incredibili studio & ardore versatur. Namque universam Diœcesim lustrat: nec locos remotiores ac periculosos abhorret. Clerum ad sacrorum Canonum præcepta conformat. Carmelitas Discalceatos Berdiczovienses, Episcopali potestati repugnantes, auxiliante Pontifice Maximo, ad debitam Episcopo suo obedientiam revocat. Templa vetustate collapsa restaurari, alia cœpta absolvi curat. Zytomiriæ domum Episcopalem, plenam dignitatis ædificat. Ibique omnium primus Seminarium excitat, in quo lectissimi hujusce Diœceseos juvenes, cum in rerum divinarum scientia, tùm in omni sacrorum disciplina, perfecte erudiantur. Possessiones quoque Ecclesiæ, per vim atque iniuriam ereptas, quoad potest, recuperat augetque. Nec quidquam omittit, quod ad eiusdem Diœceseos commoda, & ornamenta pertinere videatur. Sancto autem, in eâ, Iubilæo, cum magna celebritate & fructu, peracto, adit Kioviam, veterem suorum Antecessorum sedem. Custos & Gubernator urbis, Græcusque eius Archiepiscopus, variis lætitiæ gratulationisque exhibitis argumentis, tam carum hospitem impense colunt, compluresque dies detinent, inter varias mutui affectus benevolentiæque concertationes. Ille verò saluti animarum inprimis intentus, degentium ibi orthodoxorum confessiones diligenter au-

dit, eosque à quibusvis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis absolvit, sacrà quoque Synaxi reficit, & sancto Confirmationis Sacramento munit. Redditus demum populo, fidei suæ concredito, *Beatissimæ Virginis Matris Imaginem*, miraculis ac prodigiis divinitus factis celebrem, Berdiczoviæ in Ecclesia Patrum Carmelitarum Discalceatorum summa religione servatam, Fideliumque omnium venerationi expositam, misso, à BENEDICTO XIV. aureo diademate, gemmis clarissimis distincto, redimit. Octo dierum pompa, ingenti Principum Virorum numero, maximaque Nobilitatis frequentia, & incredibili vulgi multitudine ornatur. Præsul ipse Coronator, *De Beatissimæ Dei Matris, Semper Virginis Laudibus*, perelegantem & eruditum sermonem dicit, qui *Descriptioni* hujusce *Coronationis* insertus, publicam in lucem emittitur. Pastoralibus autem negotiis adeo deditus, Reipublicæ tamen non est immemor, eique præclaram operam præstat. Mire enim in conciliandis animis promptus & expeditus, persæpe dissentientium Regni Procerum iras controversiasque componit. Præcipuosque Nobiles summo officio & summa familiaritate in perpetuum sibi devincit. Quorum ope, quæcunque publica poscat necessitas, cùm in singularum Terrarum conventibus, tùm in totius Regni comitiis, perfacile promovet. Unde eum, ore omnium celebratum, AUGUSTUS III, æquissimus ille virtutis æstimator, Varsaviam ad se evocat, rebusque magnis omninò & arduis gerendis adhibet. Eius potissimum industria solertiaque efficit, ut Princeps CAROLUS filius, amor ac deliciæ Polonicæ Gentis, maximo Regni Ordinum consensu, Curoniæ ac Semigalliæ Dux assumatur. Sublato interea è vivis SAMUELE OZGA, Præsule omnium ætatum memoria dignissimo, SOLTICUS toto Kioviæ Episcopatu potitur. Cui quoque, ut sumptibus pro dignitate sua sufficiat, prædivitis Præpositurae Miechoviensis reditus junguntur. Ast AUGUSTUS III, perspecto eius tam propenso fidelique, erga se, domumque suam regiam studio, primario eum apud Polonos Pontificatui destinat. Quippe, illustri alio quodam Episcopo, ad ANDREAM STANISLAUM KOSTKA ZALUSCIUM, Cracoviensium Antistitem, ac Severiensium Ducem misso, majorem in modum ab eo contendit, ut assiduis Reipublicæ curis defessus, ac vario atque multiplici morborum genere vexatus, huncce illum SOL-

TICUM,

TICUM, Præſulem probum, & ad graviſſima quæque, in Eccleſia omnique Republica, tractanda munera, à natura factum Epiſcopatus ſui Coadjutorem acceptet. Verùm, negotio nondum confecto, ZALUSCIUS, tot morborum, quibus multos annos implicatus erat, vehementia conſumptus, cum magno totius Polonæ Nobilitatis, atque etiam cum Regis ipſius dolore, diem obit ſupremum. Cui nunc confeſtim SOLTICUS, adepto iam nobiliſſimo regii in ſe animi pignore, Ordinis Aquilæ Albæ inſigni, in Pontificia Cracoviæ Cathedra, atque in Severiæ Principatu ſufficitur. Ac Rex, effuſa virtutum ejus commemoratione, à CLEMENTE XIII, Pontifice Rom. Maximo impetrat, ut Apoſtolicæ approbationis diploma, ſolito tempore multò citius, ei concedatur. Conjunctæ ſane, in eo, maximi & principis, & præſulis dotes elucent. Eximia enim forma, ac dignitas corporis, heroem ſummum oſtentat. Oculis inprimis ineſt quiddam divini vigoris. Animus excelſus magnificusque. Cui quoque incredibilis ineſt ingenii judiciique vis. Huic, præter ſingularem dicendi copiam atque induſtriam, admirabilis acceſſit doctrinæ elegantia, rerumque tàm civilium, quàm eccleſiaſticarum peritia inſignis. Totus Reipublicæ deditus. Diligentiusque amicis, quam ſibi ſerviens. Neque minus in gerendis, quam excogitandis rebus, promptus. Regiæ maieſtatis obſervantiſſimus. Summa tamen providens fide, ne quid patria libertas capiat detrimenti. Poteſtatis iuſtæ atque auctoritatis in extremum tenax. Conſtans religionis orthodoxæ vindex. Acrisque eccleſiaſticæ immunitatis propugnator. Cum muſis, id eſt, cum ſtudiis humanitatis, inter maximas negotiorum difficultates, delectare ſe ſolet. Eminentioraque ætatis hujus ingenia omnibus modis fovet, donisque regalibus prorſus, ac minime expectatis cohoneſtat. Munditiarum lautitiarumque ſtudioſiſſimus, inque omni cultu & apparatu ſplendidus, prout primarium Regni Præſulem ac Senatorem omninò decet. Vita alioquin innocens gravisque. Domeſticam quoque diſciplinam, in parvis, ac maioribus rebus, ſedulo regens. Omneque, tàm aulicum, quàm rurale famulitium, pari tractans ſeveritate atque clementia. Denique omni opulentia ſua utens opportune ac ſapienter.

J. A. ZALUSCIUS

JOSEPHUS ANDREAS
COMES IN ZALUSKIE
ZALUSKI

GENS ZALUSCIANA ex Regio Gothorum ſangvine ſuam habet Geneſim. *Junoſz* enim, qui poſt *Glimeri* ultimi Gothorum Regis cladem cum Lecho primo, Lechiæ Monarcha, ex Croatia, vel Arvatia in Sarmatiam venerat, omnium ore, eius Fundator, atque Stator perhibetur. Fuit ille de Stemmate *Hamelorum*, cum veteres Germani *Hamel* agnum vocarent. *Junoſza* autem poſteri eius dicti ſunt ex corruptione vocis *Jung-Schaff* ac ſi *Agnum anniculum* dixeris, & ita Gens *Zaluſcia* heraldicum inſigne nomini analogum habet, id quod Galli *des armes parlantes* vocare ſolent. Unus ex eius poſteris, Petrus *Baran*, Dux Exercitus Poloni, exercitum Pruſſiacum Ducibus Friderico *Rewenske* & Caſparo *Noſtwitz* Polonos aggredientem fudit, & ad internecionem prope *Pucko* delevit. (vide *Miechowitam* in Hiſtoria Polona l. 1. fol. 319. & 326.) A quodam ex huius *Baran* poſteris, qui fidem Chriſtianam ſuſcepturus *Tobiæ* nomen ſibi inditum habuit, eius ſuccedanei dicti ſunt *Tabaſſi* (nam *Tobias* vulgo dicitur *Tabaſz*) vide Paprocki in Herby fol. 254. Deinde cum duos reliquerit Filios, *Tabaſzii* pronepos natu maior a feudo *Zaluſkie*, novem milliaribus Varſavia diſtante dictus eſt in *Zaluſkie Zaluſkius*. Natu minor vero a *Kroſnowo* dictus, eſt de Zaluſkie *Kroſnowſcius*. Uni ex *Tabaſſis* Henricus Imperator contulit Agnum de Collo catena aurea penſilem A. 936. Hinc aliqui ſcriptores falſo eum credunt fuiſſe primum Comitum *Baran* Protoplaſtam (vide *Benedicti a S. Joſeph*; *Mercurium* Civilem Tomo II. p. 21. Dedic.) Sigismundus *Iunoſza* a. 995. a *Boleslao Chrobri* primo Polonorum Rege, dictus fuit *Zaluſka*, ac ſi ex nominis Slavici ethimo dixeris *Scutum*, eo, quod in bello cum *Iaroslao* Duce Ruſſiæ ab ictu mortali iamiam propendente, proprio Regem texerit pectore (Idem). Nepos huius Sigismundi *Junoſzae* fuit Caſimiri I. Monachi Regis Poloniæ familiaris, & omnium arcanorum Conſcius Anno 1050. *Zegota* (alias Ignatius) Comes Baran (*Junoſza* a ſigno gentilitio dictus) a *Boleslao Calvo* Duce Sileſiæ, Caſtello *Kemnitz* donatus 1243. in illam regionem ſolum patrium mutando, ſe tranſtulit, ibique eius poſteri a Fortalitio *Gotſch* dicti ſunt *Schaff=Gotſchii*, nuncque *Comites ſemper Frey* vocitantur, tituloque Principum S. R. P. ſuperbiunt (*Sinapius* Tomo I. fol. 130. & Theodorus *Krauſe* in Miſcellaneis Gentis *Schaffgotſchianæ* 1715) *Junoſza* Comes *Baran* litigabat anno 1253. de certa in fluvio *Warta* inſula cum *Baſcone* Cuſtode Poſnanienſi, primo omnium rerum Polonarum Hiſtorico (v. Chronicon eius a Noſtro Præſule evulgatum) Iohannes Comes, *Baran* Polonis, *Schaff* Germanis, fuit ſupremus Regni Mareſchallus A. 1378. (Diploma Regis Vladislai datum Civitati Leopolienſi, & Nieſiecki Tomo I. fol 250.) Iohannes Tabaſz *Zaluſki* ſubſcripſit tractatum fœderis Breſtiani 1438. (Łaſki in Statutis) *Zaluſki* fuit Palatinus Lancicienſis 1512. Cætera de hac familia vide in *Duńczewſki* Opere Stemmatographico. Tomo I. pag. 283. Unum eſt hic, quod addendum cenſeo, plures eſſe nobiliſſimas in Polonia Familias *Iunoſſitarum*, eandem cum *Zaluſkiis* originem habentes, quarum elenchum exhibet *Okolſcius* in Orbe Polono, Tomo I. pag. 354. & III. pag. 51. *Paprocki* in *Gniazdo Cnoty* pag. 1097. Idem in *Herby Rycerſtwa* pag. 254. *Potocki* in *Poczet Herbow* pag. 95. & *Duńczewſki* in *Herbarz* Tomo I. pag. 279, inter quas eminent.

Bielinſciorum, ex qua olim fuit unus Plocenſis Epiſcopus, & eſt oriundus modernus Regni Archi Mareſchallus, Equitum aquilæ albæ Decanus in ſenio, Filius itidem Archi-Mareſchalli Regni, cuius ſoror Germana vivit Pariſiis, Baronis de

Besanval olim Legati in Polonia Gallici Vidua. Frater eius fuit Palatinus Culmensis, Avus Palatinus Mariæburgensis.

Borukowsciorum. Ex quibus fuit unus Episcopus Præmislienſis, Procancellarius Regni.

Dorpowsciorum Familia aliquot protulit Palatinos.

Galeckiorum. Ex qua fuit Palatinus Posnaniensis, Regis Stanislai affinis; Pater primæ Canonissarum Sæcularium Varsaviæ Abbatissæ.

Grochowsciorum, ex qua fuit unus Archiepiscopus Leopoliensis, alter Castellanus Leopoliensis.

Gulczewsciorum. Ex qua fuere tres Germani Fratres successive nullo intermedio Episcopi Plocenses. Id quod in *Zaluskiis* contigit itidem tribus successive Episcopis Plocensibus, Andreæ Chrisostomo, Ludovico, & Andreae Stanislao Kostka ita ut spatio 45. annorum (1692 = 1737) sedes hæc *Zaluskiis* superbiret, unde aliquis ex rudioribus, dum modernus Illustrissimus Episcopus Vladislaviensis *Dembowscius Zaluskio* in illo Episcopatu suffectus esset, quæsivisse fertur, an *Zalusciorum Familia extincta esset?* plane ignarus in Nostra lege, non æque, ut in Veteri *hæreditate* non possideri *Sanctuarium DEI.*

Humieckiorum. Ex qua fuit olim unus Castellanus Camenecensis, alter nuperrime Vir summæ in Republica Authoritatis, Stephanus Palatinus Podoliæ, Modernæ Archi-Cancellariæ Regni ex consorte de *Zaluskiis Krosnowscia*, genitor.

Karnkowsciorum. Ex qua fuit Primas Regni celeberrimus ille *Carncovius* Stanislaus, primariæ apud Regem Stephanum Authoritatis, Gymnasii illustris *Calissiensis* fundator. Et duo Palatini Plocenses, ac unus Castellanus Gnesnensis.

Kołonum in *Daleiow*, ex qua fuere plures Palatini, & Castellani.

Konopackiorum, quæ plures protulit Senatores.

Krosnowsciorum, quæ est *Zaluskiorum* Linea Collateralis, ex qua fuit Archi-Episcopus Leopoliensis, illius metropolis Fundator Collegii Soc. IESU, & Frater eius Palatinus Czerniechoviensis, ac alius Castellanus Plocensis.

Lempickiorum; quæ pluribus inclaruit Palatinatuum Officialibus.

Lochockiorum de qua plures fuere Senatores.

Lugowsciorum; quæ protulit Episcopum Premisliensem.

Omiecinsciorum; ex qua fuit Venerabilis Omiecinscia Monialis S. Brigittæ in opinione Sanctitatis mortua, cuius Corpus quiescit in Ecclesia Cremenecensi Soc: IESU, cuiusque Beatificationem Romæ sollicitandam demandarunt Comitia Convocationis 1733.

Podosciorum ex quibus fuit unus Palatinus Masoviæ, & Nicolaus, modernus Palatinus Plocensis, Palatinorum in Senio Decanus, Eques Aquilæ Albæ, cui in ea dignitate suffectum Eius Filium, supremum Culinæ M. D. Litt: antea Præfectum nuper ad aulam Ottomanicam Ablegatum, passim fama volat per ora virûm.

Radzieiowsciorum; ex qua fuit unus Castellanus Lanciciensis, alter Palatinus Plocensis, alter Procancellarius Regni, Pater *Michaelis* Cardinalis Primatis Regni, cuius vita breviter descripta legitur in *Guarnaccii* Vitis Cardinalium pro continuatione Alph. *Ciaconii.*

Roscisżewsciorum, quae plures protulit viros litteratos, & in Dignitatibus Palatinatuum constitutos.

Smogorzewsciorum, ex qua habemus superstitem Præsulis Nostri amicum *Iasonem* Coadiutorem Archiepiscopatus Polocensis Greco uniti Ritus.

Stępowsciorum, ex qua fuere duo Castellani Braclavienses.

Szaniawsciorum, e quibus nostra memoria præter Castellanum Lublinensem, fuit Constantinus Felicianus *Szaniawski*, Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ, immensæ apud Augustum II. Regem Authoritatis, qui pacem cum Confœderatis

pacifcebat

pacifcebat 1717; pluresque in Diæcefi Vladislavienfi, & Cracovienfi fecit fundationes ultra trium Millionum fummam æquivalentes. &c. Item Felix, Epifcopus Chelmenfis.

Szarley, Ex qua unus fuit Palatinus Inovladislavienfis.

Quatuor Iunoffitæ fuêre Marefchalli Comitiorum Regni, duo vero fupremi Tribunalis Regni Moderatores, 1684. & 1690. *Zaluſkii* nempe Pater & Filius *Alexander*, & *Alexander Joſephus*, uterque Palatinus Ravenfis, Avus & Genitor

Duo Archicancellarii Regni, Patruus & Germanus Frater Noftri Præfulis, *Duncewſcius* eodem loco enumerat LXXIV. *Junoſſitas* Senatoria dignitate infignitos, inter quos foli *Zaluſkii* habuerunt XVI. Curules, atque inter eas fupereminet fuprema Primatialis dignitas, quam occupavit *Zaluſciorum* Avus Andreas *Olſzovius*, & occupaffet, ni fato immaturo, e vivis ereptus fuiffet, *Ludovicus Zaluſki* Epifcopus Plocenfis quatuor ante obitum diebus defignatus Primas, Primusque Princeps. A. 1722.

In Ducatu Mafoviæ primam fibi Gens *Zaluſcia* fixit fedem, in quo quoque paulatim ad maximos afcendit honores, & tanta fuit ibi Authoritate, ut eo iam tempore, quo Ducatus ifte fuos adhuc habebat Duces peculiares, interquatuor florentiffimas Provinciæ huius Familias, *Comitum* titulo fignitas cum *Podoſciis*, *Kryſkiis*, & *Dzierzgowſciis* numeraretur.

Sæculo præterito, virtute, fide, prudentia, meritisque in Ecclefiam & Patriam clara ad fummas tam ftatus Ecclefiaftici, quam Politici pervenit dignitates, ob ftudiorum vero promotionem, amoremque fingularem in litteras elegantiores & Mufas politiores, in tota fere Europa magnum fibi paravit nomen.

Ex hac igitur illuftri Familia Iofephus Nofter eft progenitus duodecima Augufti 1702. anno, Patrem agnovit Alexandrum Iofephum Palatinum Ravenfem, Matrem Thereffiam (1) Iohannis *Podkanſki* Capitanei Iunivladislavienfis, Venatoris Sendomirienfis Filiam. Patruos Germanos VI. habuit Nofter *Zaluſcius*, qui præter duos, omnes una cum Patre Eius fuerunt Regni Senatores, nempe *Andream Chryſoſtomum Epiſcopum* Varmienfem, S. R. I. Principem, Archicancellarium Regni, *Martinum* Epifcopum Arbenfem Suffraganeum, Præpofitum Plocenfem, Ducem Sielunenfem, *Hieronimum* Caftellanum Ravenfem, *Ludovicum* Epifcopum Plocenfem, quatuor ante obitum diebus Nominatum Regni Primatem *Franciſcum* Palatinum Plocenfem aquilæ Albæ Torquatum Equitem, & Carolum fupremum Culinæ M. D. Litt. Præfectum. Imo Avus Noftri *Zaluſcii* Palatinus Ravenfis fe fuperftite V. vidit Filios Senatores. Huc refpicit Andreas *Przybyłowſki* Canonicus Plocenfis in Tetrafticho, quod fub Effigie Andreæ Chryfoftomi *Zaluſkii* Epifcopi Varmienfis in frontispicio Primi Tom. Hiftoriæ Polonæ legitur, talis tenoris:

Quinque Senatorum Fratrum Dux Stemmatis Agni,
Patre Palatino Ravenfi prodiit orbi
Delicium Regum, Legum defenfor, & Author,
Quæ dixit, fcripfit, fecit, non Carminis hæc funt.

Alludit huc quoque *Luder* Bartholomæus Soc. JESU in fuis Epigrammatibus, & Elogiis Coloniæ, imo Dantifci 1738. edit. p. 256. tali Carmine.

Nuper quinque fimul germano Sangvine Fratres
  Numina *Zaluſciæ* confpicienda Domus,
Purpureum Regni Lechici fecêre Senatum,
  Geftivitque fuum ferre curulis onus.
Et nondum contenta, alios, aliosque *Zaluſkich*
  Ad Patriæ pofcit Munera Rubra Togæ.

Mirer id? at potior ſtirps eſt *Zaluſcia* Colchis,
Præ fulva magis eſt aureus Agnus ove.
Digni eſtis trabeata fames, quos ardeat & quos,
Quantacunque poteſt, ambitione petat.

Inter quatuor ex hoc felici, & dulci matrimonio procreatos Filios Ioſephus Noſter (2) minimus fuit natu, eoque nomine quaſi Iacobo alter Ioſeph, ſeu Beniamin Celſiſſimo Patruo Principi Epiſcopo Varmienſi, & Archi-Cancellario Regni Andreæ Chryſoſtomo, Celeberrimo illi *Zaluſkio* Svada, geſtis, & ſcriptis, præcipue edita Hiſtoria Polona, quæ illi titulum *Thuani Polonici* meruit, præter alios Nepotes, dilectiſſimus. Ille paucis ante pientiſſimum (prima Maii 1711.) obitum horis, ad Fratrem Palatinum Czerniechovienſem, ad affines, ad Canonicos, & ad Familiares ſuos converſus, pene lachrymabundus, in hæc prorupit profundô ductô ſuſpiriô verba: *ſervate mihi octennem Puerum meum Joſeph.*

Hic naturam adeo expertus eſt benignam, ut ab ea egregio præditus fuerit ingenio, cuius velocitate a prima ſtatim infantia, omnes omniumque generum diſciplinas facillime eſt complexus. Huic acceſſit in adoleſcentia docilitas rara, magnusque ſcientiarum ardor, & ſingularis denique librorum amor. Nihil enim ei æque carum erat, ac libri, atque ſtudia, et eo iam tempore, tanta poſſidendi libros flagrabat cupiditate, ut pecuniam omnem a Parente optimo, et indulgentiſſimo in ſuum privatum uſum, et ad animi recreationem datam, et deſtinatam, ad coëmendos libros adhiberet. Proſtant quoque in Eius Bibliotheca ad minimum tria Voluminum millia, quibus ab anno ætatis ſuæ XIV. nomen inſcripſit ſuum.

Ardor iſte cum ætate adhuc crevit, atque fuit auctus, præcipue poſtquam aliis in Regnis, atque regionibus, ubi ſtudia, liberaleſque artes maxime florent, tam amplas atque egregiè inſtructas et ordinatas perluſtraverat Bibliothecas.

Cum Fratre enim Andrea nuper mortuo Epiſcopo Cracovienſi, Severiæque Duce, a Patruo Ludovico, Epiſcopo Plocenſi (qui tribus ante obitum diebus Primatiali, primaria, Primique Poloniæ Principis dignitate donabatur A. 1722: tum, cum Archiepiſcopatus Gneſnenſis ceſſit Theodoro *Potockio*) in Regiones exteras miſſus; Germaniam, Galliam, Italiam, Bataviamque peragravit, *Monachii* ambo ab Electore *Maximiliano Emanuele*, et a Sereniſſima *Thereſſia Cunegunda*, Johannis III. Poloniarum Regis Filia, humaniſſime fuerant excepti. Idem dicendum venit, de Electore Palatino *Neoburgi* tum morante, qui duas conſortes Polonæ nationis cum habuiſſet, huius gentis diſtinctiores Viatores amantiſſime ſuſcipiebat. *Viennæ* vero a Carolo Romanorum Imperatore ad aditum privatum (quem vulgo *audientiam* vocamus) fuerunt admiſſi. Poſtea Pariſios adierunt, ibique auxiliante *Polignaico* Patre Purpurato, qui olim Regis Chriſtianiſſimi Oratoris munere in Polonia fungens, cum eorum Patruo, Magno illo Andrea Chryſoſtomo S. R. I. Principe, Varmienſium Pontifice, Magnoque Regni Poloniæ Cancellario coniunctiſſime vixerat, in Ludovici XV. Galliæ Regis, qui tunc temporis ad iuſtam ætatem nondum pervenerat, conſpectum fuerant deducti; ab eoque ut et a *Philippo* Aurelianenſi Duce, Galliæque Prorege magna honoris teſtificatione fuerunt excepti, nec non a *Patro Magno* Ruſſorum Authocratore ſummo, qui incognito Europæ oras luſtrans, tum Lutetiam inviſerat. Relictâ Galliâ Romam ſe contulerunt, ibique in Conſpectum Clementis XI. ſummi Pontificis deducti, ad pedum oſculum vocati, ab eo benigne, gratioſe, multisque amoris ſingularis ſignis fuerunt excepti.

Ibidem *Zaluſkiis* manentibus advenit eorum affinis Stanislaus *Chomentovius*, Palatinus Maſoviæ, qui poſtea fuit Campidux Exercitus Regni, olim ad utrumque orientis, et occidentis Imperium Legatus extraordinarius, cum ſua Conſorte Comitiſſa *Tarlovia*, et amita noſtri Præſulis, Ludovici ex Comitibus *Wierzbowſciis Zaluſkia* Ca-

ſtellana Ravenſi, noſtri Præſulis quibus Clemens XI. omnem honorum teſtificationem exhibere curavit.

Zaluſkius Noſter una cum Fratre natu maiore, illo tempore cætui devoto S. *Ceciliæ* ad Eccleſiam B. V. Mariæ de *Vallicella*, (vulgo *Chieſa Nova*) P. P. Congregationis Oratorii, nomen dedere, præſide Sodalitatis R. D. Rutilio *Scelli* cum quo ſingulis Dominicis, et feſtis diebus, Noſocomium S. *Spiritus in Saxia* in ſerviendi ægrotis gratia viſitabant; cui tunc præſidebat Polonus Canonicorum Regularium S. S. Spiritus Prælatus, titulo Prioris *Omanſcius*, Eodem tempore *Zaluſkius* perfectionis Religioſæ ſtudio, ad Soc. JESU admitti petebat, a Reverendiſſimo Generali *Tamburino*, qui tamen eum admittere noluit, quousque aſſenſum Genitoris Palatini Ravenſis non obtinuiſſet; Qui Filio perſvaſit tempori, et maturiori ætati (nam tum XV. annos ætatis tantum habebat) id deliberandum relinqueret.) et cum tempore, Benefactorem ſe potius exhiberet Societatis JESU, ſi ei nomen non daret; *Neapoli* ſub tempus annui Miraculi S. *Januarii* menſe Maio *Zaluſcii* ambo a Vice-Rege *Galaſch* et Archiepiſcopo *Pignatelli*, honorificentiſſime ſunt recepti, quorum poſtremus olim in Polonia *Nuntius*, iam Cardinalis, *Zaluſcianæ* Familiæ fuerat addictiſſimus, proinde per totum manſionis in hac Parthenopolitana Urbe tractum, per menſem integrum, Currum ſuum ad obſequia mittebat, adhibito Canonico Metropolitano Ioachimo *Abigniente*, qui eis ubique ad memorabilia viſenda loca, comitem ſe præberet.

In regreſſu, Ducis Sabaudiæ *Victoris Amedei* Auguſtæ Taurinorum; *Coſmæ* Magni Ducis Hetruriæ, Mutinenſis, et Parmæ aliorumque Italiæ Principum aulas viſitaverunt, et ubique magnus honos fuit eis habitus. *Florentiæ* vero et donaria multa a Magno Duce eis obtigerunt.

Omnibus his in lociis, quæ non ſpeculandi tantum gratia adierunt, aulæ ſtatum, regiminisque formam exacte cognoverunt, præcipue vero Viros doctos, Bibliothecas publicas, æque ac privatas diligentiſſime frequentaverunt.

Optimis igitur inſtructus ſcientiis, egregiisque ornatus moribus *Joſephus* Noſter in Patriam reverſus, omnes eosque maximos Viros in ſui admirationem ad, duxit, nec tam egregiæ virtuti ſua defuere præmia.

Animo enim ad ſtatum Eccleſiaſticum præparato, varios aſcendit honores, primum dignitate Archidiaconi (in Eccleſia Cathedrali *Plocenſi*) *Pultovienſis* fuit ornatus. Officia omnia muneri ſuo iniuncta rite, et exacte implevit. Parochias ſuas *Pultovienſes*, quarum numerus ad Centum quadraginta excurrit, Ipſe viſitavit. Examinibus Clericorum ad Ordines ſacros recipiendos, deſtinatorum, interfuit, licet nondum Vigeſimum Vitæ ſuæ ingreſſus eſſet annum.

Anno 1719. interfuit Pompæ in Eccleſia S. Iohannis, cum Auguſtus II. Biretum Cardinalitium Cardinali a *Salerno* præberet, qua occaſione Patruus eius Ludovicus Epiſcopus Plocenſis omnes magnates cum Novo Cardinale ſolenni excepit convivio, in tanta ſuppellectilis argenteæ menſalis copia, ut hoc nomine omnes Poloniæ Magnates pluribus ſuperaret paraſangis.

Informatores in iuvenili ætate *Zaluſkius* habuit ſequentes, ab ipſo grata mentis recordatione ſemper recolitos: *Schultzium* poſtea Canonicum gratialem Varmienſem, Iohannem *Kedzierſki* poſtea Ord. Minor. Obſerv. Religioſum; et Petrum *Henig.* Canonicum Pultovienſem, Pro Italica lingua *Romæ* Dominum *Goffoy*, cuius Grammatica Italica extat in Typo, in *Gallica* vero ediſcenda uſus eſt Pariſiis ope D. *Souchet.* Anglicæ notitiam ſibi comparavit uſus Colloquiis *Sacellani ſui* D. *Bagger* Norvegi, in itinere Gallico Polono. *Hiſpanicum*, *Luſitanicum*, *Belgicum*, *Bohemicum* Idioma, proprio marte ſine uſu Magiſtri perdidicit. *Germanicum* per ſolum uſum callet, *Græce* a ſuo Bibliothecæ Præfecto *Ianockio* parumper edoctus eſt, Hebra-

icæ tandem linguæ principia didicit a Rabino *Pisani* Converso Italo, per Varsaviam ex Valachia Romam tendente.

Scientiarum amore, ardoreque discendi ductus, proprio sumptu, denuo iter Parisios suscepit Anno 1720, ibique in Collegio Sorbonico sub celeberrimo Professore *Brillonio* Theologiam speculativam summâ diligentiâ audivit, a docto vero *Danesio*, in Historia Ecclesiastica, & Theologia positiva fuit instructus; & in Seminario S. *Sulpitii* ubi semiquatuor annos explevit, ab eximio Viro *Pelletiero* Abbate S. Albini Theologiam moralem didicit. Apud *Montagnium* autem Theologiam Polemicam tractavit. Cathedram in Ecclesia S. *Sulpitii* sæpe ascendit, & non raro ibi Catechetæ munere est functus. In ipso quoque Collegio Sorbonico varios publice habuit sermones, & finitis studiis Baccalaureus fuit creatus. Vacationum. tempore celeberrimum Asceterium Reformatorum Cisterciencium *la Trappe* dictum, ac *Carnotensem* Ecclesiam *Virgini pariturœ* a *Druidis* dicatam invisit, (cum in priori Gallico itinere *Carthusios* montes adiisset) Postea totos sex menses ad visitandos celeberrimos huius Metropolis viros doctos adhibuit, & hoc non sine fructu. Eo tempore adfuit inaugurationi Regiæ Ludovici XV. Rhemis. Aliquod quoque temporis spatium apud Melchiorem *Poligniacum* Patrem purpuratum, antiquum, & singularem Domus *Zaluscianæ* amicum & fautorem est commoratus. Tandem cum prius Inaugurationi Caroli VI. Imperatoris in Regem Bohemiæ Pragæ 1723. interfuisset; rediit in Poloniam,& quidem eo tempore quo Patruus eius(3.) Ludovicus Bartholomæus *Zaluscius* Episcopus Plocensis (Archiepiscopus Gnesnensis,Regnique Primas destinatus) inopinatâ morte ereptus; Frater vero dilectissimus Andreas ad Episcopatum Plocensem Regia nominatione esset designatus. Consecrationi Andreæ in Claro monte Czestochoviensi interfuit Noster Iosephus, quam absolvit *Szaniavius* Episcopus Cracoviensis, Dux *Severiæ*, Con-Iunosita; summô Pontifice veniam ætatis pro sesqui anno concedente, eodem prorsus modo, uti Cardinali *Richelio* olim concedebatur, dicente Pontifice, *dignum est, ut qui sapit supra ætatem, promoveatur infra ætatem*: Post paucos reditus sui dies a *Rostkovio* (4.) Episcopo Philadelphiensi, Suffraganeo Luceoriensi, viro de Domo Zalusciana, multis titulis summe merito, Præpositurae Varsaviensis Coadjutor fuit electus; a Ioanne Friderico Luca Comite *Sapieha* tum Trocensi Castellano, mox M.D.Lith. Cancellario scriptis elucubratis, editisque concelebrato, præpositurâ Infulatâ insignis Ecclesiæ *Kodnensis* in Diœcesi Luceoriensi Imagine Thaumaturga B. V. Mariæ Coronis Romanis inaugurata conspicuæ, cui quatuor annis præfuit, a Rege vero Præpositura *Iavoroviensi* & nominatione ad alteram, eamque multo *Hebdoviensi* pingviorem, *Præmetensem* videlicet Abbatiam, donatus; & eodem tempore inter Canonicos Cracovienses fuit receptus. Ab hocce amplissimo Capitulo ad Regni Tribunalia, quæ Petricoviæ & Lublini aguntur, Iudex prior cum Kunickio, Primatis Potockii ex sorore nepote Deputatus; a Iudicibus huius Tribunalis ad Primatem *Potockium* tum & ad Augustum II. Regem optimum fuit delegatus (5.) Quem masculâ sua eloquentiâ, eximiisque suis moribus adeo commovit, ut eundem, Regii, atque Electoralis sui Principis Unigeniti, tum in Polonia degentis Cancellarium nominaret.

Huic muneri summo honore, & gloriâ præfuit, & cum, dicto modo Serenissimo Principi, nunc Augusto Regi Varsaviæ in Ecclesia Collegiata S. Iohannis a Vincentio *Santino* Archiepiscopo Trapezuntino Nuncioque Apostolico, Pileus atque Gladius a Benedicto XIII. summo Pontifice consecratus, & transmissus, in magna Procerum, populique frequentia multis cæremoniis traderetur; Præsul noster non tantum litteras gratiarum actiones continentes, Serenissimi Regij, atque Electoralis Principis nomine ad Sanctissimum Patrem linguâ Latinâ exaratas elaboravit, sed & huius actus sollemnis memoriam scripto memorabili (6.(

poste-

poſteritati reliquit. Quod tanquam primum ingenii ſui partum Auguſto ipſi Regio tum Principi, nunc vero Regi, Hero ſuo, ac Patri Patriæ Clementiſſimo, conſecratum eſſe voluit.

Fides ſua, ſuaque officia, quæ Sereniſſimo, huic Principi ſincere ſemper præſtitit, ejus quoque interceſſione a Rege Auguſto II. Parente optimo, Magni Poloniæ Referendarii dignitate fuerunt compenſata.

Cui Rex Clementiſſimus proprio ductu pingvem adhuc Abbatiam Præmetenſem ordinis Ciſtercienſium addidit. Anno igitur ætatis ſuæ XXVI. a Ioanne *Tarlovio* Poſnanienſium Pontifice, tum & a dilectiſſimo Germano tunc Plocenſi Antiſtite ordinibus ſacris fuit initiatus; poſtquam in alma Univerſitate Cracovienſi I.V. Doctor ſolitis cæremoniis fuiſſet renuntiatus. Cui actui Conſtantinus Felicianus *Szaniavſki* Epiſcopus Cracovienſis, Severiæque Dux tanquam Academiæ Cancellarius perpetuus, cum toto ampliſſimo Cracovienſi Capitulo adeſſe voluit.

Hîs ornatus dignitatibus, maximis eisque arduis Regni negotiis fuit adhibitus, quia jam hoc tempore, magnum legum Patriæ uſum, atque experientiam, ſtudiô ſuô indefeſſo ſibi aquiſiverat, ejus quoque opera, in reſtituendis ſacræ Regiæ Majeſtatis juribus fuit uſa.

Ex noſtri potiſſimum *Zaluſkii* relatione, cum Anno 1726. Lublino Grodnam veniſſet, pro Comitiis, tum primarius Iudex Deputatus ex Capitulo Cracovienſi, ad ſupremum Regni Tribunal; Germanus eius tum Plocenſis Epiſcopus, & Commiſſionis pro tollendis abuſibus & componendis defectibus hujus ſublimis Dicaſterii Præſes, a ſtatibus Regni deſignatus, plura, quæ irrepſerant in Rempublicam, ſtudiô boni privati nimiô, mala averruncavit, uti legere eſt in *Correctura Tribunalis Regni* a tribus ordinibus approbata.

Cum in ijsdem Comitiis generalibus Iohannes Comes *Tarlo* Palatinus Lublinenſis, poſtea Sendomirienſi, in extraordinarium Regis & Reipublicæ Legatum ad S. Sedem deſignatus fuiſſet, *Zaluſkius* in Legationis Supremæ Secretarium, ei aſſignabatur; ita, ut Legato ægrotante, negotia Regni maxime circa jus nominationis Regiæ ad Abbatias tractandi haberet poteſtatem; at hæc legatio Curiâ Romanâ prius conſtitutionis circa Nunciaturam Poloniæ & Nuncium Vincentium *Santinum* acſi ſibi injuriæ ex actis publicis eliminationem exigente, evaneſcere debuit. Poſt tres annos *Zaluſkius* primum *Berlinum* deinde Dresdam, & *Muhlbergam* adiit, ibique exercitiis ac evolutionibus militaribus exercituum, niſi *otia Martis (Campement)* dicere mavis, interfuit. Quâ occaſione ſæpe Regis in Boruſſia & ejus Filii nunc regnantis, familiari colloquio dignatus eſt. Redux in Patriam præfuit commiſſioni Regiæ Varſavienſi ad capiendam poſſeſſionem Palatiorum, domorum, & fundorum iure allodij, a Rege acquiſitorum in urbe & ejus viciniis,& ad examinanda jurisdatorum, & ceſſionariorum jura, & prætenſiones, quâ ſpatio unius menſis perfectâ, Volumen integrum M. SS. Iurium Domus Regio-Saxonicæ in manus Regias depoſuit. Mortuô *Szaniavio* Epiſcopô Cracovienſi Duce Severiæ, illam adiit Regni Metropolim, & ibidem, olim coniunctiſſimo ſibi *ConJunoſitæ*, & cum tempore affini (nam illius pronepos filius Venatoris Lith. Supremi, ex Potockia Primatis Regni nepte progenitus, ſociavit ſibi noſtri Præſulis Neptem) parentavit, in maxima Magnatum frequentia; dein ibidem nomine, & juſſu Regio luſtrationem exactiſſimam Palatii Regii perfecit, & redux item Regi ſuo codicem manuſcriptum ſtatum præſentem reparatarum & reſarciendarum rerum continentem obtulit. Cum idem Rex glorioſiſſimus celeberrimum faceret exercitus ſui luſtrum; prope *Czerniakoviam*, *Zaluſkius* eidem obtulit codicem Mſſ. Autographum de re Technica nempe *Militarium*, *Andreæ Maximiliani Fredro* Caſtellani Leopolienſis, (qui deinde ad Palatinatus Podo-

Podoliæ Curulem evectus eſt.) Partem II. practicam, quæ ab obitu eius anecdota, tandem his diebus ex liberalitate Celſiſſimi Principis *Jablonovij* Palatini Novogrodenſis lucem videt publicam, cum ante 93. annos pars prior *Amſteloda-mi* apud *Forſterum* prodiiſſet Anno 1660. tali titulo *Militaria vel Axiomata Belli ad harmoniam Togæ accomodata. Pars I. duobus libris pp. 220. in 4.*

Occaſione turbarum, in cauſa Religionis, ortarum, quæque magnos non tantum in Polonia, ſed apud exteros quoque excitaverant motus, ſcriptum ſermone patrio, ſub titulo: *Duo gladii adverſus diſſidentes a fide Catholica in Regno Poloniæ evaginati, alter defendendo, alter offendendo agens* typis promulgavit, quod a Polonis tanquam ſpecimen & opus ſuis abſolutum numeris conſideratur. (7.)

Ad hæc quoque eodem fere tempore Gaſparum *Nieſieckium* dignum Societatis JESU Socium, virum antiquitatum Polonicarum longe peritiſſimum excitavit, ut eximium ſuum opus *Coronæ Polonicæ* titulo decoratum ſuſciperet, continuaret, et perficeret, eique ad hoc rite, exacte, perficiendum, auxiliatrices manus præbuit, et cum eo ſcripta neceſſaria eaque rariſſima, multaque documenta, manuſcripta communicavit, quam benignitatem, et gratiam Author quoque celeberrimus in multis Voluminum ſuorum locis demiſſe agnovit, et debitis extulit laudibus (8) Michaelem Abrahamum *Trotzium* Varſaviæ quidem natum Lipſiæ vero inter Muſas, liberalesque diſciplinas commorantem, eo uſque adduxit, ut *Bibliothecam Polonico-Poeticam* ederet (9) Hic poſtea quoque Præſulis noſtri optimi perſuaſu, novum *Lexicon Gallico-Germanico-Polonicum* publicavit.

Recenſio vero Illuſtrium Poloniæ Poetarum, quæ priori Tomo eſt præmiſſa, ſtudio atque operæ noſtri Epiſcopi adſcribi debet, qui etiam libros præſtantiſſimos ad ſermonis Patrii Culturam facientes, cum dicto *Trotzio* pro incredibili ſuo in homines eruditos amore perquam benigne communicavit. (10) Ille vero ipſe circa hoc tempus, varijs, multisque litteris, quas a viris doctis amicisque ſuis, præcipue vero a Ludovico de *Courcillon Dangeau* et Iohanne Paulo *Bignonio* celeberrimis illis Galliæ Abbatibus, ut et a Franciſco *Salmon* Sorbonæ Doctore, et Bibliothecario eximio, tandem quoque a Iohanne Burchardo *Menckenio*, Sereniſſimi Poloniarum Regis a conſiliis Aulæ, et Hiſtoriographo Electorali, Viro de ſcientiis et litteris eloquentioribus multis titulis, meritiſſimo, acceperat; eo fuit illectus, et incitatus, ut Polonorum priſci, et recentioris ævi, ſcriptis, aut aliis titulis in ſtudia et Muſas Clariſſimorum, vitas, opere ſingulari luci publicæ exponeret. Hunc igitur in finem anno 1737 *Programma* ſuum litterarium publicavit, quo omnia, tam Eccleſiarum cathedralium, quam collegiatarum capitula, omnes Academias, conventus, omnia cœnobia, monaſteria, collegia, omnes denique congregationes, præcipue vero Bibliopolas, omnesque doctos, liberaliumque artium amatores, et fautores obſecrat, enixeque rogat, ut ei huncce laborem multis variisque impedimentis coniunctum, benigno ſuo auxilio, et aſſiſtentia facilem redderent. (11.)Hoc tamen laudabile inſtitutum, poſtea ob interventam Regis Auguſti II. mortem, et turbas in Polonia inde ortas, quibus quoque Præſul noſter fuit implicatus, ad optatum quidem pervenit effectum, at nondum in lucem eſt emiſſum.

Circa hoc quoque tempus conſanguineo ſuo, amicoque ſingulari, Stanislao Hieronymo a Sancto Laurentio, *Konarſcio*, clericorum Regularium pauperum Matris DEI Scholarum Piarum per Poloniam Præpoſito Provinciali, viro gravi, omni doctrinâ eximio, omnique laude cumulatiſſimo, Author, ſvaſorque fuit, ut Leges, Statuta, conſtitutiones et Privilegia Regni, Magnique Ducatus Lithvaniæ in unum corpus congereret, atque in civium ſuorum uſum communem produceret; Eique hunc in finem codices vetuſtiſſimos obtulit, atque porre-

porrexit (12.) Jd, quod Vir clarissimus non tantum grato animo agnovit, sed et in præfatione primo Volumini præmissa, pro opera tam munifice præstita publicas egit gratias. Jam ut aliquid (sunt ibi Eius verba) de vetustissimis „exemplaribus moneam, ex quibus integra, religiosissimaque fide cuncta extra„huntur, quæ hic continet Tomus, quæque cæteri continebunt, imprimis obli„gationem animi longe maximam profiteor, cunctosque, qui hoc utentur ope„re, profiteri oportet, Jllustrissimo Familiæ, virtutis, et scientiæ claritudine Viro „Josepho Andreæ *Zaluscio* Referendario Regni, cum inter doctissimos hac tem„pestate homines, tum inter scientissimos Juris Patrij numerando, qui e sua quam „magno studio, sumptuque ipse comparavit omnis generis præcipue vero pu„blicis Regni monimentis locupletissima Bibliotheca, plurimorum mihi librorum, „Scriptorumque copiam fecit; quorum præcipua pars nusquam alibi reperiri „potuisset. Quam ob rem secundum Eius potissimum exemplaria, in quibus „nihil est, quod a Republica approbatum, typisque aliquando vulgatum non sit; „cum nullibi maior eorum copia, quam in *Zalusciana* hac Bibliotheca reperiatur„totum hoc singulari eius beneficio, consilioque prosequemur opus.„

Jlle vero ipse *Zaluscius* Mathiæ Martiani *Ladovij* Secretarii quondam Regij; et Metricæ majoris cancellariæ Regni Præfecti *Indicem Constitutionum Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ* in annum MDCCXXVI. continuatum Lingva Polona luci publicæ exposuit (13.) His igitur distentus laboribus, opera adhuc spiritualia a Magno illo Andrea Chrysostomo *Zaluskio* Varmiensium Pontifice, S. R. J. Principe, Regnique Cancellario Patruo suo Polonice conscripta, vel ex aliis lingvis in patriam translata, in ingens Volumen colligenda, publicanda curavit (14.)

Circa omnes fere festivitates solennes, præsente Rege, Principe Regio, Regnique Proceribus Polonice, Gallice, vel Jtalice conciones habuit. Orationes funebres in morte duorum uno eodemque fere tempore defunctorum Regni, et Lithvaniæ Ducum campestrium, Stanislai nimirum (15.) *Chomentovij* sui affinis, & Stanislai *Denhoffi*, habuit. Notatu vero dignissimus sermo ab eo lingva vernacula habitus est iste, quem anno 1733. sub initiis Comitiorum extraordinariorum a Rege Augusto II. convocatorum, in magna Reipublicæ statuum frequentia in Collegiata S. Johannis Varsaviæ, super verba Mathæi cap. VIII. v. I. *Et dico huic vade, & vadit, & alteri veni, & venit, & servo meo fac hoc, & facit*; habuit. Unicuique enim ordini officium suum maximo zelo, fervore, et libertate in animum induxit. Comitia ista omnium opinione, felicem habuissent successum, nisi per interventam, inopinatam, et luctuosissimam optimi Regis mortem interrupta fuissent.

Jnterregni tempore (16.) Præsul Illustrissimus *Specimen suum Historiæ Polonæ criticæ* publicavit, in quo eruditio summa, multarumque rerum præcipue Historiæ Patriæ perfecta elucet cognitio. Hic aureus vere liber doctissimo *Lengnichio* adeo arrisit, ut eum in pereleganti sua *de confœderationibus Polonorum* dissertatione §. XXXI. p. 25. nec non in Epistola ad celsissimum Andream Ecclesiæ tum Plocensis Episcopum, ei præmissa, summis extollere laudibus non dubitaverit. Synodum quoque quam Andreas Frater lectissimus, cum Diæcesi amplissimæ Plocensi præesset, reconciliandæ Ecclesiae dignitatis causa, anno 1733. instituit, sermone eleganti, *de optima Presbyteri forma*, aperuit. (17.)

Sequente duplici Regum Poloniæ electione, Præsul Noster, sicut fere omnes alii Regni huius Episcopi, atque Prælati, maximusque Senatorum secularium numerus, a partibus Stanislai stetit, imo in Campo Electorali *ad Wola* Breve Clementis XII. cum Benedictione Pontificia toti nationi Regem electuræ impertita, publice ex vi Officii sui prælegit, et post trinam Comitis *Mniszech* Archi-Mareschalli Regni proclamationem, Hymnum Ambrosianum *Te DEUM laudamus* annuente Primate Regni *Potockio*, de genu intonavit. Ab hoc quoque Rege

C *Stani-*

Stanislao inter selectos receptus fuit clientes, et ad Clementem XII. summum Pontificem, ab eo Legatus fuit missus; qui illum benignissime excepit, magnoque eius favore, quo eum est dignatus, præsul Noster in suo zelo pro Rege Stanislao fuit valde confirmatus. Per omnes tres annos, quos Romæ in negotiis Regis Stanislai consumpsit, ea, quæ illi fuerant iniuncta, summâ perfecit fide, reliquum vero tempus studiis dedit. Hac occasione dum Anno 1734. *Carolus* Infans (mox Rex utriusque Siciliæ, et Regis Nostri Clementissimi gener; nunc iam Rex Hispaniarum) ad subiiciendam sibi *Parthenopen*, copiis militaribus Patris stipatus festinasset, *Zaluskius* una cum Cardinale *Aquaviva*, et Duce Sancti Agnani, Legato Galliæ, *Montem Rotundum* obviam ivit, ad consalutandum hunc Principem, cui a Comite S. Stephani, (*Sant Estevan*) præsentatus, benignissime ab eo susceptus, et demum aliquot Epistolis Hispanice circa progressum armorum suorum exaratis honorificatus est.

Zaluskio, Romæ dum ageret; a Christophoro *Szembek* Episcopo, qui postea Primatus Regni supremam adeptus est dignitatem, vacans ab obitu *Dzialinscii* Suffraganeatus Episcopatus Vladislaviensis, cui Diæcesi subiacet celeberrimum Dantiscanum Emporium, oblatus est per *Klinscium – Iunossitam* Decanum Culmensem, Canonicum Vladislaviensem, quem tamen ille præ modestia deprecatus est, (uti prius fecerat oblato sibi a germano Fratre Suffraganeatu Plocensi, qui dein Martino tertio eorum Fratri, moderno collatus est Episcopo suffraganeo, ac Præposito Plocensi, Duci Sielunensi.) Brevi post a Rege Stanislao Nominatus est Præsul Noster ad vacantem post primum *Czapskium* Episcopatum Culmensem, et *Pomesaniæ*, (quæ sedes ultima, antequam recepisset confessionem Augustanam, habebatur in Oppido, Germanis *Marienwerder*, Polonis *Kwidzin* dicto) et simul Frater eius prædictus *Martinus* ad Episcopatum Præmisliensem, per obitum *Fredronis* vacantem, sed utraque nominatio hæc, in cassum abiit, per manutentionem in Throno Poloniæ Regis Augusti, feliciter utinam, quam diutissime regnantis, qui Culmensem contulit Adamo *Grabowscio* moderno Episcopo Principi Varmiensi, *Zaluscii* in curia Romana duplici Antagonistæ, nempe ad Clementem XII. identidem suo Ablegato. Dum Romæ moraretur, viros summos ob vitæ integritatem claros, ob doctrinæ & eruditionis laudem conspicuos cognovit, & convenit, quos inter eminet Alex. *Albani*, *Gotti*, *Gentini* ac Legati in Polonia Gallici Germanus, *Monti*, Patres purpurati, Josephus *Simonius Assemannus*, Iustus *Fontanini*, Nicolaus *Fortiguerra*, *Perimezi* Archiepiscopus ex ordine Minimorum & alii Prælati, tandem quoque Josephus Maria *Fonseca d' Evora*, Ordinis minorum, qui eo tempore Regis Portugalliæ negotia, tam Ecclesiastica, quam politica Romæ curabat, & celeberrimus ille Antoninus *Bremondus*, tum Assistens Galliæ, mox Caput Ordinis Prædicatorum, quos non tantum sæpe visitavit, sed & cum eis Bibliothecas publicas, & privatas, aliaque Musis sacrata loca frequentavit. A doctissimo Abbate *Ercolani* Academiæ Infœcundorum Præside, in eius cætum fuit adlectus, Academiâ *Arcadum* tum in partes scissâ. Cum post pacem Aquisgranensem (v. Gazette de Berne tit. *Nouvelles* 22. Febr. 1735. N. XV. art. Romæ.) Stanislaus retento Regio titulo, in Lotharingiam, quam abdicato Regno Poloniæ, obtinuerat, se conferret, a Rege & Regina variis invitatus litteris gratiosissimis in Galliam, est profectus. (18.) Post suum statim adventum a Rege *Stanislao* Magnus *Lotharingiæ* Eleemosynarius fuit factus, (cum prius a Regina *Opalinscia* eius consorte suus Cancellarius fuisset designatus) nullâ habitâ ratione conatûs, quem plurimi, iidemque maximi Galliæ Episcopi, ad illud munus obtinendum adhibuerunt. Zaluskius *Versaliis* a Regina Christianissima, *quæ est honorificentia populi Nostri*, & quæ eum aliquot Epistolis propriâ manu exaratis Romæ agentem dignata, & ab eodem corpore Sancti *Onesimi* (cuius mentio fit in Actis Apostolorum) & Reliquiâ insigni S. S. Perpetuæ & Felicitatis, quarum die sacra in lucem e-

missa

missa est, nec non capsulâ crystalli (19.) fossilis pretiosâ, insignium Sanctorum sacris lipsanis non sine litteris authenticis oppleta, donata est, nec non a Regina eius matre, quæ toto triennio commercium litterarum cum eo tenuit, benignissime susceptus est. Eodem temporis intervallo (2da Februarii 1737.) adfuit solenni promotionis Equitum S.S. Spiritus, Torquatorum, noviter annumeratorum pompæ, in quorum numero fuere quoque Marchio de *Monti* nuper Gallicus in Polonia Legatus suus amicus intimus, tum & suus affinis Dux *Ossolinius*. (20.) Castellani Gostinensis, cui Sociata est germana *Zaluskii* soror, natu maior Frater, pro cuius admissione solitum de fide Catholica, probis moribus, & nobili genere explevit coram *Vintimillio* Parisiensium Antistite, una cum Comitibus, *Wielopolscio* & *Pocieo* iuramentum, & post aliquot dies iusiurandum excepit a *Galizerio*, in Cancellarium Lotharingiæ a Rege *Stanislao* assumpto.

A Rege Christianissimo in cuius conspectum sæpe *Zaluskius* venit, aliquoties in variis negotiis a Rege Hero suo Ludovici XV. socero; tum *Meudonii* in Palatio Regio, quod nunc occupant Delphini Principes Filii, commorante, missus, Abbatiam *Fontaneti* in Burgundia, a Rege vero Stanislao *Villaria Bethnacensem* in Lotharingia obtinuit. Qui post duos annos adhuc adiunxit dignitatem Magni Præpositi Infulati, Ecclesiæ Collegiatæ, nullo medio Sanctæ Sedi subiectæ, *Sancti Deodati* in *Lotharingia*, quæ Episcopali gaudet iurisdictione (21.) tum & munus Consiliarii Prælati honoris in supremo Parlamento *Lotharingiæ* - *Nanceiano*: quod tribus saltem Personis Spiritualibus constat, quo nomine Collegae *Zaluskii*, fuére Abbates de *Beauveau*, Princeps de Craon Primas Lotharingiae, & Comes de *Bouzey*, Decanus exemptae Ecclesiae Nanceiensis.

Dum *Zaluskius* in Lotharingia moraretur, Regem Stanislaum in quadruplici itinere, nempe bino *Metensi*, Marchionis du *Bourg* & Comitis de *Belleile*, *Argentinensi*, Cardinalis de *Rohan* invisendi gratiâ, & *Sandeodatensi* pro Installatione sua, comitatus est, ab eodem sæpe *Commercium* ad exhibenda humanitatis, & congratulationis, Onomasticis Matris & sororis Augusti Cæsaris nunc feliciter imperantis diebus B. Elisabethae Caroli & Annae, officia missus, imo cum Comite *Tarlo* Lublinensi Palatino infelici postea fatô in duello extincto, ibidem interfuit, solenni *Carolinæ*, Francisci I. Imperatoris germanae, in Abbatissam *Remiromonti* Canonissarum inaugurationi.

Anno 1740. Catharinam Regis Stanislai consortem in itinere suo *Versaliensi* ad invisendam Filiam Augustam Christianissimam Reginam instituto, pariter comitatus est, quâ occasione (22.) *Rhemis*, sacram ampullam cœlitus delatam per manus Angeli Sancto *Remigio*, pro inaugurando in Regem, primo Gallorum Principe, qui Christo nomen dederit *Clodovæo*, oculis usurpavit denuo, (cum prius ante Viginti annos, Inaugurationi *Ludovici* XV. fuisset præsens) & ubique in aditu & reditu, omnibus humanitatis Officiis a Praesulibus, Provinciarum Gubernatoribus, Urbium Galliae Proconsulibus, ac Oppidorum Praefectis susceptus est, ut primarius Reginalis Sodalitii comes; imo *Fontis - Ebraldum* aditurus, ad invisendas cum Rege avunculo Reginulas, Ludovici XV. Filias minorennes; quae ibi tunc morabantur; nisi hoc iter praeter omnem expectationem abruptum fuisset. Sequenti anno *Zaluskius* ad Thermas Aquisgranenses perrexit, sciatico morbo levamen quaesiturus; & opportunitate vicinitatis, tertio Belgium invisit Fœderatum, imo *Roterodamô Londinum* perrexit, per navem onerariam *Paquebot* dictam, quae singulis septimanis totius Europae commercium epistolicum in Angliam deferre solet, *Londinique* integro mense, eruditos ac bibliothecas illius scientiarum emporii continuo visitando permansit. Dum adhuc *Zaluskius* in *Lotharingia* moraretur, excurrit in Patriam, Fratrem tum Regni Archicancellarium visitaturus, adfuitque Varsaviæ Solennitati, quâ *Lipskius* Præsul Cracoviensis

 bire-

biretum Cardinalitium e manibus Regis suscepit. In reditu *Hamburgi* par mensem fere integrum moratus est, ubi ex Bibliothecâ Io. Alb. *Fabricii* per publicam auctionem divendita, aliquot millia voluminum coemit; qua occasione Dominum *Poussin* Galliæ Residentem, Marchionem De *Valory* designatum ad Regem Borussiæ Ablegatum, Dominum *Steinflick* Suecum; celeberrimum Regis Stanislai ex obsessa urbe Dantiscana, se clam subducentis, comitem, tum urbis Gubernatorem; invisit, frequenti convivio ab iis exceptus, una cum itineris sui sociis, *Granowscio* Palatino moderno Ravensi Equite Aquilæ albæ, *Luszczewskio* Camerario Regio, Lanciciensi, & Fratre eius Sochaczoviensi Capitaneis, ac *Garczynscio*, Filio Castellani Inovladislaviensis ex sorore nepote.

Prædictis ut supra enarratum Beneficiis, atque Prælaturis, proventus, quos in Polonia respectu Abbatiarum *Præmetensis & Hebdoviensis* *Zaluskius* perdidit, fuerunt compensati, (23.) Rex Stanislaus quoque a Benedicto XIV. summo Pontifice, pro eo Titulum Archiepiscopi *Cæsariensis* in Cappadocia obtinuit, quem tamen præ modestiâ recusavit, maiori studio pro obtinenda dignitate *Primatis*, quæ eo tempore in Lotharingia vacabat, connisus, & quia Rex post datam iam ei fidem suam Regiam, eam postea nihilominus, instante *Fleurio*, Patre purpurato, Abbati *Choyseul* (moderno Archiepiscopo Vesontionensi) dedit; Præsul noster immediate Stanislai aulam reliquit. Antea vero, tanquam Magnus Præpositus Infulatus, Ecclesiæ *Sancti Deodati*, non tantum Epistolam pastoralem, ad parochos sibi subiectos scripsit, sed & in synodo sua, orationem elegantem de eo, *quod in Sacerdotio Sanctissimum est*, habuit, ibi quoque præterea varia adhuc scripta ad Historiam Polonam recentiorem facientia, elaboravit, quin imo et *Stanislai* Regis vitam conscribere est adgressus, & cum hac descriptione usque ad alteram eius electionem pervenit. Viros eruditos in Lotharingia celebres, uti *Lancellotium*, *Solignacum* Historiæ polonæ Authorem, assiduè frequentavit, præcipue vero consvetudine celeberrimi doctissimique Augustini *Calmeti* coniunctissime est usus, eaque summe est delectatus; eum quoque in Regis Stanislai conspectum deduxit, qui tantum virum benignissime excepit, Regiæque Mensæ adhibuit. Antequam tandem *Zaluskius* in suam rediit patriam, *Belgium*, *Daniam*, & omnes Germaniæ oras peragravit, ibique viros doctos adiit, & frequentavit.

Post suum in Poloniam reditum Augusto III. Regi optimo & patriæ patri, debitam suam fidem & Observantiam summâ testatus est Veneratione, comptoque ac eleganti sermone, Regis mentem ad lenitatem excitavit, & ab eo tempore nullam prætermisit occasionem, quâ fidem suam erga Regem reconciliatum, Regiamque totam Augustissimam Familiam demonstraret, a Rege quoque omni æstimatione dignatus.

Anno 1739. cum nomine *Bironii* Ducis Curlandiae Comes *Keyzerling* homagium Regi praestaret, in Rheda Regia, eum ad aulam Regiam, tum ad Thronum Serenissimi Regis, una cum Casimiro *Rudzinski* Castellano Czernensi, qui postea fuit Palatinus Masoviae & Eques aquilæ albæ, aliquo modo sibi affine (24.) deduxit, eidemque Comiti iusiurandum corporale exhibituro, genibus Regiis innixum, pro more tenuit Evangeliorum codicem. Idem olim anno 1732. fecerat, cum Baro de *Bulau* nomine Ducis *Ferdinandi*, pariter Augusto II. Regi simile redderet homagiale tributum (videatur Relatio impr. p. 5.) *Zaluskius* a Rege suo, benigne habitus, & clementissime semper ad audientiam, & Mensam, tum Varsaviæ, tum & Dresdæ Annis A. 1743. 1750. 1755. 1756. admissus est quidem, pristinam vero eius Confidentiam, nunquam tam plene & perfecte iterum consequi potuit.

Sed hoc non casu quodam, ast Divinâ sic volente providentia factum creditur. Fatum enim suum finistrum per omne hoc tempus admirabili tulit patien-

tiâ;

tiâ; & solamen suum in Musarum consvetudine, Doctorum consortio, librorumque suorum lectione quæsivit & invenit.

Anno 1755. 6. & 7. instituit iter ad suas Abbatias, Villariæ-Betnaci, & Fontaneti. Hac occasione *Dresdæ* interfuit Consecrationi Ecclesiæ Catholicæ per Nuntium Apostolicum (olim amicum suum; postea Cardinalem) *Archintum* factæ. *Lipsiæ* a Ducissa Curlandiæ, Vidua, benignissime exceptus, & ad Mensam fere singulis diebus tractatus est, a Celeberrimo autem *Gotschedio* in consortio Societatis litterariae, Diploma aggregationis suae recepit. *Lunævillam* ipso die Sancto Stanislao Sacrâ veniens, a Rege Stanislao post 14. annorum absentiam, mirantibus cunctis aulicis, non tantum benigne exceptus, verum etiam per integras sex septimanas retentus, eo tempore iussu Principis, in cœtum litterarium Nanceiensem, adscriptus est. Consangvineum suum Ducem *Ossolinium* ibi adhuc spirantem reperit, postero ab abitu suo die, dolendo fato obeuntem. Reginae Galliarum homagium suum exhibuit, in oppido *Compiegne* dicto, ubi tum Ludovicus XV. subsistebat, & dein supervenienti Regi Stanislao *Versaliis* *sæpe* assistebat. Pariisis per 7. Menses commorando, praeter Cardinales, *Rupefucaldium*, de *Gevres*, de *Luynes*, Principes, Constantinum de *Rohan* Episcopum Argentinum, & eius Fratrem Archiepiscopum Rhemensem, primum Franciae Ducem Parem, quorum nepotem Camillum Abbatem, in Coadiutorem abbatiae suae Villariae Bethnaci, assumpsit, necnon Abbatem de *Bernis*, qui brevi postea ad Cardinalatus fastigium evectus est, tum *Gvaltierium* Nuntium Apostolicum, ac omnes litteratos utriusque status spiritualis & saecularis invisit, & eorum iugi colloquio animum pavit, aliquos eorum convivio admodum frequenter excipiendo. In reditu ad charam omnes amores superantem Patriam; *Zaluskius* *Bruxellis* cum Comite de *Cobenzel*, *Nuntio* Apostolico *Molinari*, & Comite *Calembergio*; *Luxemburgi* cum loci Gubernatore, qui olim Poloniam peragrarat, Mechliniæ cum Cardinale *Boussu de Chimay* Belgii Catholici Primate, *Bonnæ* cum Electore Coloniæ, *Augustæ* cum Duce Hasso Darmstadano loci Episcopo; familiari colloquiô, & mensa usus, ubique cum iubilo acceptus; desiderium sui reliquit. *Manheimi* toto mense Novembri 1757. mansit, circa onomasteria, tum Electoris Caroli, tum Electricis Elisabethæ, hocque tempore concedente Electore Moguntino per litteras amoris, & benevolentiæ plenas, in Capella Ducali ritu Pontificali celebravit. *Heidelbergam* una cum R. P. *Seedorff* Electoris Confessario amico suo dilectissimo, *Spiram* vero cum Comite de *Riaucourt* invisit. *Monachii* eadem affabilitate ab Electore Bavariæ humanissime exceptus est *Zaluskius*, quem ille toto carnisprivii tempore per sesquimensem retinuit, quo temporis intervallo, singulis fere diebus ad mensam vel Electoralem, vel Cardinalis Bavariæ & ad epulas venatorias. (uti & Manhemii) admissus est. Vindobonæ (ut olim 1718. Carolo VI.) ita nunc *Francisco* I. ac Imperatrici Augustæ præsentatus est; idque a Comite *Flemingio* suo amico. *Migazium* Archiepiscopum, *Crivellium* Nuntium, *Sallarium* Auditorem, Comitem *Keyserling*, Domui Zaluscianae addictissimum, omnes Legatos exteros, Comitem *Kaunitz* primarium aulæ Ministrum, Palatinam Cracoviensem Lubomiriam etc. invisit, prandiis ab iis exceptus opiparis; at post decem dies hanc Metropolim deserere coactus est repente, recepto de ægra valetudine Celsissimi Fratris Episcopi Cracoviensis infausto nuntio, qui tunc Cracoviæ decumbebat; in transitu Decanum Olomucensem Baronem *Von Eck* invisit; qui brevi post in successorem Cardinali Episcopo *Troiero* datus est, Cracoviam ipso die suo Onomastico 19. Martii advenit *Zaluskius*, ubi Fratrem minus male valentem reperit, qui tamen circa finem anni fatis cessit.

A cælo destinatus fuisse videtur *Zaluskius*, qui Musas in Polonia per seculum fere dimidium neglectas, indefesso suô studiô et labore restitueret. A prima enim statim iuventute libris adeo fuit delectatus, ut progressu temporis omni

conatu ſtuderet, publicam eamque omnium primam (25.) in Patria ſua erigere Bibliothecam. Ad hoc perficiendum opus omnes ſuas opes, omnemque facultatem adhibuit. Verum quidem eſt, eum hanc ob cauſam multa variaque perpeſſum fuiſſe ſarcaſmata, et ab ipſis popularibus ſuis, quorum plures equis, venatu, luſu, aliisque rebus delectantur, acerbe fuiſſe perſtrictum, ſed Ille vulgatum illud animo revolvens Symbolum *Non eſt mortale, quod opto*, omnia magnanime contempſit, eisque idem, quod Imperator olim *Julianus*, librorum oſoribus regeſſit: *Alii quidem Equorum, alii vero avium, alii rurſus ferarum ardent amore, me vero poſſidendi libros, ingens a puero tenuit cupiditas.* Multi vero gentilium ſuorum eruditi, fructum erigendae huius Bibliothecæ publicæ perſpexerunt, hunc ardorem grato animo recognoverunt, eiusque demum exemplo ad imitationem fuerunt incitati. Ex iam demortuis huc referri debent, Iohannes Comes *Jablonovius* Palatinus Ruſſiæ, Regis Stanislai avunculus, Johannes, Fridericus Lucas S. R. J. Comes in Koden *Sapieha* Archi Cancellarius M. D. Lit. et Joſephus Comes in Dambrowna *Sapieha* Epiſcopus Diocœſarienſis, Coadiutor Vilnenſis ſupremus M. D. Lit. Referendarius. Inter viventes vero recenſeri merentur. Venceslaus Hyeronimus Comes de Boguſlawice *Sierakovius* Archiepiſcopus Leopolienſis, Vir probus atque gravis, omnique et Divinâ et humanâ litteratura inſtructiſſimus, Michaël Caſimirus Dux in Olyka et Nieſwiez *Radivilius* Palatinus Vilnenſis ſupremusque Lithvaniæ Exercitus Ductor, princeps cum maximis quibuſuis ætatis noſtrae viris comparandus, Joſephus Alexander S. R. J. Princeps *Jablonovius* Palatinus Novogrodenſis, Sagaciſſimus rerum Patriarum omnium tum antiquarum explorator, maximusque Muſarum noſtro tempore Promotor. Non prætereundi ſunt hic Jlluſtriſſimi Proceres Venceslaus Comes *Rzewuſki* Palatinus Podoliae Campidux Regni, Ulricus Princeps *Radziwill* Praefectus ſtabuli Lithvaniae, ac Comites Conſtantinus *Plater* et Joannes Auguſtus *Hülzen* Mſcislavienſis, et Minſcenſis Palatini, & fratres germani Comites *Wielopolſcii.*

Inter Ordinum Religioſorum proceres emicant Jacobus Paulus *Radlinius* S Th: Doctor Ord: Can: Reg: Cuſtodum S. S. Sepulchri *Xti* Domini Praepoſitus Generalis Infulatus, Vir magni ac celebratiſſimi in Polonia nominis Petrus Hyacinthus *Slivicius* Congregationis Presbyterorum Miſsionis in Polonia Viſitator Generalis et Praepoſitus Eccleſiae S. Crucis Varſavienſis, eximius ſane et ſingularis Vir, tum Civibus omnibus, tum ipſis Regni Proceribus mirifice charus, Paulus *Stryienſcius* Præpoſitus Collegii S. J. Varſavienſis; Thomas *Krolikovius* S. Th: Doctor Conventus Varſavienſis Ordinis S. Dominici Prior, dein per Poloniam Ordinis ſui Provincialis, qui Omnes, Præſulem noſtrum ampliſſimum, in erigendis & amplificandis Bibliothecis, a maioribus, & Anteceſſoribus erectis, & fundatis, pro norma ſibi elegerunt. Occaſione publicæ apertionis Bibliothecæ noſtri Præſulis tum Referendarii Regni, frater eius Celſiſſimus Epiſcopus Cracovienſis, pro IV. præmiis valoris 50 Aureorum nummorum, quatuor numismata deſtinavit iis, qui omnium optime, argumentum, *de Neceſſitate & uſu Bibliothecarum*, tum ex Polonis, tum & exteris, tam Proſâ quam metro tractaſſent. Idem Numiſmata cum effigie ſua magni moduli, ſculpta tum *Holmiæ*, tum *Vindobonæ*, inter amicos diſtraxit (videatur de hac præmiorum diſtributione Relatio impreſſa in nouis hebdomadalibus Varſavienſibus 1746. 28. Dec. (26. A. Nota) Noſter vero *Zaluſkius*, conſcripſit centum Inſcriptiones, lateribus atrii, & Aulae Bibliothecæ tum & Ianuis, feneſtris, lacunaribus, inſcribendas. Cl. Item Profeſſor Martinus *Chladenius* edidit duo Opuſcula (quorum Tituli ſuo loco legentur,) de Bibliotheca *Zaluſkii* noſtri. Reverendiſſimus autem *Radlinſcius* Generalis Canon. Reg. SS Sepulchri Cuſtodum Præpoſitus Infulatus edidit, & Bigæ fratrum Fundatorum (*Ioſephi* quo ad Libros, *Andreæ* vero quo ad Muſeum, ædificia, & fundum certum annui proventus) dicavit; titulo *Corona urbis & orbis, Gloria & gemma Regni Poloniæ, univerſitas ſcientiarum*

entiarum Bibliotheca Zaluſciana. Cracoviæ apud Mich: Dyaſzewſki 1748. pp. 198. in 4to. (26 B.)

Quia vero Illuſtriſſimus Epiſcopus ſumptibus in Bibliothecam ſuam tam large erogatis, peneerat exhauſtus, Auguſtus III. Rex benigniſſimus, ante nonnullos annos Abbatiam (27) Vąchocenſem gratioſe ei obtulit. Sub initio quoque regiminis Regis noſtri Clementiſſimi, poſt Adami Franciſci Xaverii *Roſtkovii* Suffraganei Luceorienſis Præpoſitique Varſavienſis mortem, ad Poſſeſſionem ampliſſimæ huius Præpoſituræ pervenit. Archidiaconatum vero Pultovienſem cum Scholaſteria Plocenſi mutavit, hancce tamen Prælaturam paulo poſt Stanislao (28.) *Podkanſcio* Conſobrino ſuo ceſſit. Fratre ſuo Chariſſimo Epiſcopo Cracovienſe Severiæque Duce Anno 1758. 16. Dec: Patriæ, civibus, Orbique toti Litterario fato luctuoſiſſimo extincto; eique ſuffecto Celſiſſimo Caietano *Soltyk*, ad vacantem poſt eius aſcenſum Epiſcopatum Kiiovienſem & Czerniechovienſem tandem aliquando promotus eſt, ipſa die, qua hæc fata ſibi & Sereniſſimo Regi innotuêre. (29.)

Quam primum hæc Nominatio Kiiovienſis Eccleſiæ Prælatis & Canonicis innotuerat, congregatione rite inſtituta, tres ex eis ſpectatæ virtutis, et prudentiæ viri, unus Antonius *Gorczyńſki* Cathedralis Kiiovienſis Præpoſitus, ſedeque vacante totius Epiſcopatus Adminiſtrator Generalis; Alter Carolus *Orlovius* Capituli Decanus, Tertius Andreas *Tokarſcius* tunc Canonicus, nunc vero renunciatus Archidiaconus, ſunt delegati, qui ſuperiori Antiſtiti pro Eccleſia integro novennio ſumma cum laude adminiſtrata, gratias agerent immortales; Præſuli vero recens creato, omne officii genus, ſtudiaque ſua, & obſervantiam deferrent. Ex iſtis lectiſſimis voluntatis Capituli interpretibus, Carolus *Orlovius* author Deſcriptionis Eccleſiæ Cathedralis, & Diœceſis Kiiovienſis, in itinere tam longo, in morbum acrem incidit, & dolendo fato extinctus eſt. Cæteri vero duo Varſaviam incolumes pervenerunt. Orationes a Capituli Kiiovienſis Delegatis habitæ, cum reſponſione Illuſtriſſimi novi Antiſtitis, cæteraque hac occaſione peracta, ſingulari ſcripto eleganti, cui titulus, *Prælatorum Kiiovienſium ad deſignatum Epiſcopum ſuum Oratio, Eiusdemque Epiſcopi ad illos reſponſio*, typis prodierunt.

Conſecratio Præſulis noſtri in Regia capella, Sereniſſimo Patriæ Patre præſente, & numeroſa Magnatum caterva ſtipato, abſoluta eſt, IV. Novemb: (1759.) die Divo Carolo Cardinali Borromæo noſtri Præſulis Tutelari ſacra; Ducisque Curlandiæ Principis Regii Caroli onomaſticâ. Præcipuus Conſecrator fuit Celſiſſimus Epiſcopus Cracovienſis Caietanus *Soltyk*; (30.) Aſſiſtentes vero Antonius *Dembowſki* Vladislavienſis Epiſcopus (31.) & Martinus *Zaluſki* Epiſcopus Draſnenſis, Suffraganeus, Præpoſitus Plocenſis Dux Sielunenſis Conſecrati Ioſephi germanus. Oblationes ad altare detulerê (32) *Weſſel* Palatinus Lancicienſis, *Malachovius* Archi Cancellarius Regni, (33.) Jgnatius *Twardowſki* Caſtellanus Poſnanienſis, (34.) Iacobus Princeps *Lubomirſki* (35.) Generalis Exercitus, olim Gladifer Regni, ſinguli Equites Torquati, Comes *Moſzyńſki* Capitaneus Vovolnic, filius Archi Theſaurarii Regni, ex Regia filia Com: *Coſel.* progenitus (36) & nepos Illuſtriſſimi Præſulis Franciſcus de *Riviere* d Arſchot Comes S. R. I., & de Heer *Zaluſki* Capitaneus Groiecenſis. Ipſâ die Celſiſſimus Epiſcopus Cracovienſis ſplendidum in Palatio ſuo omnibus Magnatibus Polonis tum Varſaviæ præſentibus, necnon Legatis exteris, paravit convivium. Quos novus Epiſcopus poſterâ luce, opiparô ſimiliter tractavit prandiô.

Reverendus Pater Joſephus *Kattenbringk* Soc: Ieſu, Anonyme hanc recens Capiti meritiſſimo impoſitam Infulam Carmine eleganti decantavit, (37.) quod Celeberrimus ille Lipſienſium Profeſſor, Academiæque ornamentum ſingulare *Gottſchedus* cum germanica ſua translatione egregiâ, Diario, quod eius auſpiciis publicatur, inſeruit.

Hanc *Zaluſkii* promotionem encomiaſticis gratulationibus, ac panegyricis ſcriptis votivis celebrarunt Patres Soc: Jeſu tum Varſavienſes, circa primum Pontificali ritu ab Eo celebratum in propria eorum Eccleſia ſacrum, Feſtô Divi Sta-

nislai Kostka, cuius affinitate (nam gloriari licet) gloriatur *Zaluskius* (vide *Daryewski* in Genealogia Kostkarum, tit. *Pamiątka Kostków*) Tum Zytomirienses; & Białocerkievienses Eius Diœcesani, circa aditum Episcopatus *Berdyczoviæ*, ubi quoque RR. PP. Carmelitæ Discalceati, illius sacrarii Mariani ædiles, Præsulem suum actu publico disputationis ei dicatæ ex universa Theologia cum effigie B. Mariæ *Berdyczoviensis* Thaumaturgæ cohonestarunt. (38.) Iidem Reverendissimus Dominus Iacobus *Radlinski* Canonicorum Regularium Custodum S.S. Sepulchri Præpositus Generalis Infulatus, venerandus ætate, meritis, & dignitate sui ordinis supremâ, nec non scriptis in lucem editis clarissimus, Præsuli Nostro charissimus, senecio œstro poëtico, quod in provectâ ætate non plane obriguit percitus; in amicitiæ tesseram *Zaluskium* tribus gratulationis celebravit scriptis, quorum inscriptiones inferius leguntur (39.)

Accessit ad Episcopatum Kiiovensem nova Præsuli Nostro dignitas, Episcopi Assistentis solio Pontificio, ac Prælati Papæ Domestici, quam ei obtinuit Serenissimus Rex, genuinus Fidei Defensor, Prætendens Angliæ Iacobus III; Qui Præsuli Nostro, ob duplicem eius affinitatem cum Sobieskiis (40.) maximam benevolentiam, per totum triennium sui Romæ incolatus, vivente tum adhuc *Clementina* Sobieska (cuius Regnum non fuit de hoc mundo (41.) at regnat in cœlis) contestatus est, & tanti habuit, ut eum diplomate suo in Capitolio Romano authentice recognito, constituerit in suum Procuratorem Generalem (*Plenipotentiarium Ministrum* vulgus vocat) in hercifcunda post obitum tum adhuc viventis, at periculose decumbentis soceri sui Principis Regii Iacobi *Sobieskii* hæreditate, quo tamen munere, ob abitum in Galliam ad aulam Regis Stanislai, *Zaluskius* fungi non valuit.

Licet obtento ante duos annos Regis optimi nominatione Episcopatu Kiiovienfi, proventus *Zaluskii* valde sint aucti, ab omni tamen fastu abhorret, & quod ei superest, in Nobiles pauperes, aliosque egenos elargitur. Eruditos semper sincero prosecutus est amore, multosque viros doctos pro modulo adiuvit. Scripta eius præcipua, quæ post reditum ex Gallia, & Lotharingia luci publicæ exposuit sunt hæc: Conspectus novæ Collectionis legum Ecclesiasticarum Poloniæ (42.) Opera omnia Pauli Comitis in aureo Potok Pilavitæ *Potocki* Castellani Camenecensis in Podolia, Senatoris Regni Poloniæ, quæ variis commentariis ad Historiam Illustrissimæ Domus spectantibus illustravit (43.) Duæ Epistolæ, altera Eminentissimi Principis Angeli Mariæ Cardinalis *Quirini*, S. R. E. Bibliothecarii, & Episcopi Brixiensis ad Iosephum Andream Comitem *Zaluski* supremum Regni Referendarium, iuxta exemplar Brixiense recusa; altera vero eiusdem Illustrissimi Referendarii ad Eminentissimum Cardinalem Illum (44.) Collectio Carminum a Poëtis viventibus, vel nostris temporibus defunctis, patrio sermone scriptorum (45. M. Antonii *Mureti* Institutio puerilis Rythmis polonicis exornata. (46.) Satyræ quatuor ex celeberrimo Poëta (Gallico Iuvenale) Nicolao *Boileau Despreaux* translatæ 1753. (47.)&c. &c.

Circa idem hocce tempus novam quoque editionem Operum *Virgilii Maronis*, a nonnullis Poëtis excellentissimis in lingvam patriam translatorum, procuravit Præsul Illustrissimus, & adiecit Bibliothecam Poëtarum Polonorum, qui patrio sermone scripserunt. (48.) Porro *Genealogiam Comitum Junosſitarum - Tabasz - Zaluskiorum*, & de Zaluskie *Krosnowskiorum*, *Bielinskiorum*, *Radzieiowsciorum*; & *Kolonum*. (49.)

Item *Anecdota Iablonoviana*, seu singularia quædam de Celsissima Jablonoviorum de Prus Ducum, S. R. I. Principum Domo (50.) Sermones funebres habuit multos, ut in solemni pompa funeris *Constantini Feliciani Szaniawski* Episcopi Cracoviensis, Severiæ Ducis (51.) In Exequiis Serenissimi *Jacobi Ludovici Sobiescii* Regii Poloniæ, & M. D. Lit. Principis. (52.) In laudem Principis *Michaëlis Visniowieccii* Palatini Vilnensis, summique Exercituum M. D. Lit: Præfecti. (53.)

In

In Conſécratione ad Epiſcopatum Luceorienſem 1731, & poſt XIII. annos in obitum Eminentisſimi Principis Johannis Alexandri *Lipſki* Sacræ R. E. Cardinalis; Epiſcopi Cracovienſis, Severiæque Ducis. (54.)

Ante comitia vero anni 1744. Grodnæ inchoanda, præſente Sereniſſima defuncta Regina, Italice, (uti & olim A. 1725. & 6. coram Auguſto II. ac III. ſæpiſſime Gallice) Varſaviæ, Polonice quoque in præcipuis Poloniæ civitatibus, nempe Cracoviæ, Lublini, Pultoviæ, Plociæ, Samboriæ, Zolkieviæ, Viſnioveci, Zytomiriæ in Regno, (extra Regnum vero Gallice Pariſiis, Nancey, Lunevillæ, ac Sandeodati,) variis, extraordinariis, & ſolenniori pompâ diſtinctis occaſionibus, nempe circa Conſecrationes Eccleſiarum, & Epiſcoporum, circa profeſſiones e Familiis illuſtribus Deo dicatarum Domicellarum, circa ſolenniſſimas octiduali pompâ Introductiones Imaginum, ſacrâ Apotheoſi Neocanonizatorum Sanctorum, vel Beatorum, nempe: *Andreæ de Comitibus*, Jacobi *de Marchia*, Franciſci *Solani*, Iohannis à *Cruce*, Petri *Regalati*, Vincentii à *Paulo*, Joſephi de *Leoniſſa*, Fidelis de *Sigmaringa*, Joſephi de *Copertino*, Joſephi *Calaſſantii*, Roſæ de *Viterbo*, Franciſcæ Iohannæ *Fremiot de Chantal*, idiomate ſeu Polono, ſeu Gallico, & alicubi utroque, die eodem, mane & ſero, necnon tempore Magni Iubilæi, uti & in aditu Epiſcopatus in ſua Eccleſia Cathedrali Zytomiriæ, imo olim in Eccleſia Sanſulpitiana Lutetiæ, dum in Seminario maiori Catechiſtam ageret iuvenis, ſingulis Dominicis, deinde, dum ſupremus Lotharingiæ eſſet Eleemoſinarius cum facultatibus Epiſcopalibus, in Capella Regio-Ducali Lunevillæ patrio idiomate, & ita, in Polonia Gallice, ac e converſo, in Gallia Polonice, Latine vero in Synodo Diœceſana Cathedræ Plocenſis Pultopoli, qua Archidiaconus Pultovienſis (cuius Cathedræ natus Canonicus eſt, quivis Primas Regni) in bina Synodo Eccleſiæ illuſtris *Sandeodati* (*Saint Diez*) in montibus *Vozagi* Lotharingiæ nullius Diœceſis, qua illius Baſilicæ cum iuriſdictione Epiſcopali Præpoſitus Infulatus, immediate Sanctæ ſedi ſubiectus, ac demum in ſua ſynodo *Kiiovienſi*, *Zytomiriæ*, ſermones, Conciones plures, ac orationes Synodales habuit, ſemper cum zelo, & nunquam ſine plauſu (55.)

Cum Cl: *Janockius* C. K. Varſaviæ in Eccleſia Patrum Capucinorum Fidei Catholicæ Confeſſionem publicis Cæremoniis in eius deponeret manus, Præſul doctiſſimus, ſermonem linguâ germanica habuit, quo veritatem, & neceſſitatem, *ſacram cœnam* ſub una tantum ſpecie, eſſe a laicis ſumendam, demonſtrare ſtuduit.

Inter has laudatas tam arduas, æque ac doctas occupationes, alios quoque viros doctiſſimos, inter quos nonnulli primi ordinis, atque dignitatis, ad varia opera ſuſcipienda excitavit, eosque in illis feliciter perficiendis maſculè adiuvit. Eius enim perſvaſu *Joſephus Alexander Jablonovius* S. R. I. Princeps, Palatinus Novogrodenſis, ad excitandum in Noſtratibus amorem, & honeſtam æmulationem, illicio bonæ exiſtimationis apud Magnates Muſarum Evergetes, & bonarum litterarum ac artium fautores, certa præmia quotannis diſtribuenda, illis, qui ſuis ſpeciminibus, ac tentaminibus litterariis, cœteris palmam præriperent, nuper providit, et perpetuo cenſu aſſignato fundavit.

Jlluſtrisſimus Excellentisſimus Joſephus *Potocki* Caſtellanus Cracovienſis Senator primarius; ſupremus Exercitus Regni Dux, Collegio Varſavienſi P. P. Scholarum Piarum (in quo Zaluſkius Poëſim tractavit olim) cenſum perpetuum annuum inſcripſit; hoc pacto: ut quotannis Tragædiæ, ac Drammata metro polonicô ad excolendam magis Patriam lingvam, exhiberentur.

Johannes vero Fridericus S. R. J. Comes in Kodeń *Sapieha* Cancellarius M. D. Lit. cum adminiculo Johannis *Orlowſki Daneykowicz* Diſtrictus Pinſcenſis Theſaurarii, S. R. M. Secretarii, eminentiorum omnium, quos Polonia recentiori ævô, protulit Oratorum ſpecimina, ſermone tam vernaculo, tum latino edita, in unum Corpus redegit, & ſplendidisſimo *Svadæ Polonæ-Latinæque* titulô exornata, in aſpectum Civium, lucemque publicam protulit. (56.) Supra iam laudatum *Trotzium* ad publicandum *novum Lexicon* Gallico-Germanico-Polonum (57.) Generoſum

rosum Equitem de *Solignac* ad conscribendam Historiam suam Poloniæ (58.) Florianum *Buydecium* Gnesnensem Canonicum Ordinis SS. Sepulchri, in elaboranda vita Mathiæ Łubienski Archiepiscopi Gnesnensis, Regni Poloniæ, & M. D. Lit. Primatis (59.) Lebrechtum Gotthelff *Langbeinium* Juris utriusque Candidatum, ad edendum commentarium de Mathiæ Casimiri *Sarbievij* S. J. Poloni, vita, stud is, & scriptis (60.) R. P. Mathiam *Dogie* desideratissimum Provinciæ Lithvanæ Scholarum Piarum scriptorem, in coacervanda Collectione Diplomatum ad Historiam Polonam spectantium (61.) Generosum Doctissimumque Laurentium *Mitzler* de *Kolof*, Archiatrum Regis, Historiographum Reipublicæ Polonæ, in publici iuris facienda *Collectione magna* scriptorum Historiarum Poloniæ & M. D. Lit., qui ab initio ad nostra usque tempora extant omnium, ordine chronologico digesta, suppeditante celeberrima Bibliotheca *Zalusciana*, cum variis annotationibus, & indicibus, excitavit & iuvit (62.) Excellentissimæ vero Dominæ Comitissæ *Zamoyskiæ* Svasor fuit ut *Daneti* Lexicon Gallico-Latinum, additâ versione Polonicâ R. P. Demetrii a Conceptione B. V. M. (in sæculo *Kola*) Scholarum Piarum sui olim Condiscipuli, suis sumptibus evulgari faceret. (63.) In ultimo abhinc decennio aliquoties in Saxoniam est profectus, & ibi erga omnes eruditos humanissime se gessit. *Dresdæ* celeberrimum *Schoettgenium* Scholæ ad S. Crucem Rectorem, Virum ob eruditionis famam clarissimum visitavit. *Lipsiæ* apud magnum illum virorum doctorum Mæcœnatem, S. R. J. Comitem de *Manteuffel*, inter alios Academiæ viros eruditos, & celeberrimum offendit *Joecherum*, cuius acuto, hilari, & ingenioso colloquiô summe est delectatus. *Halæ* Saxonum viros celebres magnaque inter eruditos lumina *Wolffium*, *Buchnerum*, & *Baumgartenium* visitauit, in ultimi Bibliotheca instructissima, inter alios, libros adhuc nonnullos sibi huc usque incognitos, maximique momenti offendit. Quod vero Anglicanos attinet, talem ibi operum selectissimorum invenit apparatum, qualem extra Angliam nullibi unquam vidit.

Scripta præcipua ab Jllustrissimo Præsule in lingva latina, partim iam finita, partim vero tantum incæpta, ob certas vero rationes, luci publicæ ad huc non exposita, sunt ista.

Cathalogus Bibliothecæ, quam Josephus Andreas Comes in Zaluskie *Zaluski* supremus Regni Referendarius, Magnus Lotharingiæ Eleemosynarius, Magnus Præpositus Jnfulatus Ecclesiæ S. Deodati, Abbas Fontaneti in Gallia, Villariæ-Betnaci in Lotharingia, &c. &c. ingenti sumptu, at longe maiori studio, ex omnibus Europæ partibus, integrô tricenniô sibi conquisiuit, eamque nunc publico Patriæ, ac civium bono, Varsaviæ litavit. Folio (64.)

Synodicon Poloniæ Orthodoxæ seu Collectio Synodorum tam Provincialium quam Diæcesanarum. Priores ordine chronologico, posteriores ordine Diæceseon, tum dein chronologico sunt dispositæ. (65.)

Collectio scriptorum Ecclesiasticorum Poloniæ ineditorum, tum & editorum quidem, sed rarissime obviorum. in folio. (66.)

Corpus scriptorum Rerum Polonicarum ineditorum in folio. (67.)

Elenchus universalis Codicum manuscriptorum, in Bibliotheca Zalusciana tum in quibusvis Poloniæ, & adiacentium, ac sceptro Serenissimi Regis Augusti III. parentium Provinciarum, Basilicis, Cænobiis, urbiumque ac Privatorum hominum Bibliothecis latentium, in Folio.

Lexicon Universale Historico-Polonicum, seu miscellanea Curiosa Polonica, sacram, & prophanam omnis ævi Historiam Patriam tangentia, ordine alphabetico exhibentia. in folio. (68.)

Descriptio status præsentis Poloniæ in 4. (69.)

Historia Polona Critica ad *Speciminis*, quod supra iam laudavimus, formam elaborata in 4.

Itinerum in *Germaniam*, *Italiam*, *Galliam*, *Angliam*, *Bataviam*, *Daniam* instituto-

inſtitutorum Relationes, quæ multum ad hiſtoriam litterariam anecdotam conferunt. In *Lingva vero Polona.*

Commentarius de Officio & Prærogativis Magni Regni Poloniæ Secretarii in 4.

De Referendariis Regni Poloniæ liber ſingularis in 4to.

Syntagma de familiis Polonis prætermiſſis a Nieſieccio & Duńczewſcio in fol. Præter omnia vero locum hic habere debet Collectio eius ampla, egregia, & ſingularis Epiſtolarum, lingvâ *Latinâ, Germanica, Italica, Gallica, & Polonica ſcriptarum,* per quas doctiſſimus, Jlluſtriſſimusque Præſul, cum viris eruditis, & de ſtudiis ſcientiisque optime meritis, de variis materiis, præcipue vero talibus, quæ ad noſtram ſpectant Patriam, & Rempublicam Litterariam, ingenuè & libere eſt locutus.

Cum enim adhuc eſſet Archidiaconus Pultovienſis, cum Johanne *Jablonovio* Ruſſiæ Palatino, Regis Stanislai Avunculo, ingeniorum Polonorum Phænice, iam Commercium litterarium, Hiſtoriam Patriam pro fundamento habens, inſtituit, a quo ille quoque tenerrime ſemper fuit amatus, & ob ſuam eruditionem, magnamque librorum notitiam, per iocum ſæpe fuit apellatus (loco *Xiądz, Xięga Załuſki*), ac ſi dixeris Zaluſcium Bibliothecam viventem, ſpirans muſaeum. Tum quoque cum iam dicto Joanne *Marangono* Canonico Anagnienſi litteras commutavit, cui multas, easque optimas, atque ſelectiſſimas tranſmiſit annotationes, quas ſuo *Theſauro Parochorum*, de Parochis Poloniæ agens, inſeruit.

Cum adhuc Magni Referendarii dignitate eſſet decoratus, celeberrimos, eosque doctiſſimos Viros ex Germanis *Menckenium*, ex Italis *Muratorium*, ex Gallis vero Abbates *Dangeau* & *Bignon*, ut et *Salmonium*, duos denique doctiſſimos Soc: Jeſu Socios, Renatum Joſephum *Tourneminum*, & Dominicum de *Colonia*, de inſtituenda, erigenda, & exornanda Bibliotheca ſua per litteras adiit, eorumque conſilio eſt uſus.

In Patria ſua, cum ſupra iam commemorato Jlluſtriſſimo *Sapieha*, Magno Lithvaniæ Cancellario litterarium Commercium ſuſcepit; Hic prudens Senator Præſulis Noſtri ingeniô, & cupiditate ſtudia & Muſas in Patriam reducendi, magnopere fuit delectatus, adeo, ut ei in veræ, & non fucatæ ſuæ amicitiæ teſſeram, affectusque ſignum, Præpoſituram Infula gaudentem, & a Celſiſſima Domo *Sapiehana Kodnæ* in Lithvaniæ finibus fundatam offerret.

Circa hoc quoque tempus, cum celeberrimis, atque graviſſimis, Soc: Jeſu Patribus, Adriano *Miaſcovio* (70.) & Caſimiro *Vieruſzevio, Potoccii* Poloniæ Primatis Theologo aulico, per litteras de materiis Theologicis tractavit (71. Amicitiam, quam Regis *Stanislai* Oratorem Romæ agens, cum *Gotti* Patre Purpurato, cum *Montio* Legati in Polonia Gallici Fratre, mox Cardinale, cum *Fontanino, Aſſemanno, Ercolanio, Bougetto*, aliisque ibi iniverat, per illud tempus, quo in Lotharingiâ eſt commoratus, litteris continuavit. Inde quoque celeberrimo Ordinis S. Dominici Aſſiſtenti, poſtea Priori Generali Antonio *Bremondo* nonnulla documenta, eaque rariſſima, Hiſtoriam ordinis ſui in Polonia concernentia, tranſmiſit, quæ ille Bullario ſuo inſeruit, ſimulque ibi Præſulis Noſtri digniſſimâ cum laude fecit mentionem.

Ex Lotharingia quoque plusquam quinquaginta Epiſtolas ad *Polignìacum* Patrem purpuratum, ratione novœ editionis Epiſtolarum Hiſtorico familiarium Andreæ Chryſoſtomi *Zaluſcii*, quam meditabat, ſcripſit. Hic etiam ei in ſuis reſponſis multa ſingularia, eaque ſecretiora, Celſiſſimum hunc Principem Epiſcopum Varmienſem concernentia, patefecit; & plures Epiſtolas transmiſit, quas Eminentiſſimus Cardinalis cum eo mutavit, quæque ob certas easque ſummas rationes, operibus impreſſis non fuerant inſertæ.

Poſt ſuum in Patriam reditum, cum Illuſtrisſimo Joſepho Comite in Dambrowna *Sapieha*, Epiſcopo Diocæſarienſi, Epiſcopatus Vilnenſis Coadiutore, ſupremoque M. D. Lit. Referendario, ut & cum Celſisſimo Joſepho Alexandro Comite *Jablonovio*

vio S. R. J. Principe, tum M. D. Lit. Dapifero, nunc vero Palatino Novogrodensi, de promovendis in Polonia bonis artibus, per literas consilia habuit.

Adhæc omni studiô laboravit, ut Ordinum sacrorum Superioribus, atque Præfectis, omnibusque aliis viris Ecclesiasticis, amorem ad studia elegantiora colenda inspiraret, id quod quoque, ut nunc patet, non sine omni fructu fuit.

Quod ad exteros attinet, cum magno illo *Quirinio* Patre Purpurato singulare habuit litterarium commercium, ad hæc quoque cum *Begonio* Episcopo Tullensi, cum doctissimo Augustino *Calmeto*, aliisque, de variis rebus per litteras tractavit.

Si quis iudicia colligere vellet, quæ viri docti, iique eximii, præcipue vero exteri de scriptis Jllustrissimi Præsulis nostri, deque laboribus, quos ipse pro Musis suscepit, in suis diariis litterariis dederunt, simulque laudes enumerare, quas ei attribuerunt, totum facile volumen conscribere posset. Frequentissime hæ occurrunt in omnibus fere Diariis litterariis, quæ modo in Germania prodierunt (72.) In Lipsiensium Germanicis novis litterariis, (quæ sæpe de Eo mentionem faciunt,) N. XCIV. anni 1749. p. 835. maximus scientiarum Promotor, ornamentumque Patriæ suæ sempiternum appellatur.

Celeberrimus *Heumannus* scriptor Historiæ litterariæ, primæ, (ut dicunt) classis, in novâ *Conspectus Reipublicæ litterariæ* editione, Cap: 14. paragr: LXXII, Præsuli Nostro inter Serenissimos, & alios primi Ordinis viros, qui hoc sæculo scriptis inclaruerunt, magnumque sibi pararunt nomen, inter Clementem nimirum XI, Benedictum XIII. & XIV. summos Pontifices, Annibalem *Albani*, Cornelium *Bentivoglium*, Josephum Mariam *Tomasinum* Angelum Mariam *Quirinum*, Henricum *Bissy*, Vincentium Ludovicum *Gotti*, & Melchiorem *Polligniacum* Patres Purpuratos: Fridericum II. magnum Borussorum Regem, Johannem Nicolaum *Mauro cordatum* Valachiæ Principem, Demetrium *Cantimirium* Moldaviæ Principem, locum tribuere non dubitavit.

Clarissimus quoque *Fabricius* eum cum Fratre Celsissimo defuncto Episcopo Cracoviensi inter maximos Mæcenates, Musarum, scientiarumque nostri temporis, promotores numeravit. (73.)

Celeberrimus quoque Johannes Fridericus *Jugler* Magnæ Britaniæ Regi a Consiliis aulicis, academiæque Equestris, quæ *Lunæburgi* floret, Inspector, in nova & pulcherrima editione *Struvii* Introductionis in notitiam Rei litterariæ, & in usum Bibliothecarum tomo. I. cap. III. p. 346. aliisque in locis, Fratres hos duos Germanos, ob magna in studia, & rem litterariam, merita, omni laude celebravit. Maximum vero idque certissimum eruditionis Jllustrissimi Præsulis Nostri testimonium est sine dubio, quod celeberrimæ Europæ scientiarum Academiæ, eum inter socios suos recipere non dubitaverint. *Petropolitensis* Academiæ Præses, Comes *Rasumovius*, Diploma Ei in pixide argentea egregie deaurata transmisit, & ex eo tempore acta litteraria Academiæ splendide ligata, & scuto heraldico Tzarinæ Autocratricis insignita, ei transmittere curat. Academiæ *Berolinensis* Præses, immortalis ille *Maupertuisius*, eiusque secretarius celeberrimus ille *Formey*, *Zaluskii* receptionem cum magna meritorum suorum decantatione indicarunt, quæ facta fuit 20. septembris 1748, uti legitur in Novellis Hebdomadalibus Berolinensibus. Idem fecit Doctus *Zanotti*, Bononiensis Instituti scientiarum secretarius, aliarumque Academiarum minorum Præsides, ut Clarissimus *Gottschedius* Lipsiensis, Jenensis, Gripsvaldensis &c. &c. & ultimario *Nanceianus* secretarius perpetuus, Zaluscii amicus *Solignacus*.

Anno insequenti 1760. Episcopus, (qui non sibi sumpsit honorem, sed vocatus a Deo tanquam *Aaron*) oviculas suas primum invisit Festo Purificationis B. V. *Mariæ Matris suæ gratiosæ* (nam ita eam apellat exemplo Divinissimi Contribulis, ac affinis sui Divi *Stanislai Kostka*) primum *Berdyczoviæ* in finibus *Ukrainæ*

ina, ubi in Ecclesia P. P. Carmelitarum Discalceatorum, Imagine Thaumaturga Deiparæ, totâ Ukraina celeberrima, ab Incolis Palatinatus Kiioviensis salutatus est, adhibito Campanarum pulsu, & tormentorum bellicorum boatu. Nam Conventus ille contra incursiones *pyratarum*, ut ita dicam, *terrestrium*, vulgo *Haydamaki* dictorum, (e fæce populi Russico-Polonici collectorum, qui inutilia terræ pondera, frugesque consumere nati, agriculturam exosi, vivere rapto edocti, suppliciis se subducunt, in peninsulis, ad oras parvæ Russiæ finitimas, adiacentibus, exindeque turmatim totâ æstate ex insidiis, terras Polonas invadunt, & devastant) fortalitio bene munito, ac præsidio militari (*Garnison* dicunt) CXX. militum undique vallatus est. Arcis Præfectum & Chiliarcham agit Celsissimus Princeps Antonius (Is Princeps dum hæc in typum paro, piâ morte quievit Varsaviæ, magnum sui desiderium omnibus relinquendo) *Lubomirski* S. R. J. Princeps, supremus Regni Ensifer, Aquilæ Albæ, S. Andreæ, & S. Huberti eques, nuper Comitiorum Regni moderator supremus, qui Præsulem suum ab ipsis incunabulis, nempe a morte Patris sui Palatini Cracoviensis, nec non Matris Tarloviæ (74,) ex cuius capite intercedit ei duplex cum *Zaluskio* affinitas, tenerrimâ dilectione complexum, omni humanitatis, cultus, & honorificentiæ genere, addito annuli pretiosissimi in tesseram donô, prementibus huius magnatis vestigia omnibus & singulis Palatinatus *Kiioviensis*, Territorii *Zytomiriensis* & *Owrucensis* Officialibus, & Nobilibus Incolis, prosecutus est; tum in Fortalitio *Berdyczoviensi*, tum in feudo suo Paterno *Polonna* dicto. Id ipsum demum imitatus est maiorem in modum exemplum, sub tempus celebratæ synodi Diœcesanæ XX. Martii, ac duabus subsequentibus diebus, superveniens in has oras, Celsissimus *Radzivil* (75.) Capitaneus *Rzeczycensis*, Huberto-Rhenani Cætus eques torquatus, Filius olim Nicolai Palatini Novogrodensis, oppidi Berdyczoviensis Hæres, obstetricante P. P. Carmelitarum Mariani Fortalitii inquilinorum ope, cum illuminatione Ecclesiæ, ac turris Basilicæ, tum ignium festivorum, & artificialium collustratione, flammigeri Gentilitii scuti, una cum Ducali Radiviliano coniuncti coruscatione, Pyrotechnico artificio affabre elaborati; orationibus salutatoriis, ac Panegyricis, tum die ingressus solennis, tum Festô tutelaris sui Divi Josephi, ac demum in actu solennis disputationis ex universa Theologia, sibi dedicato, cohonestatus est; tum a P. P. Carmelitis, tum a Collegiis Diœcesanis Soc: Jesu *Zytomiriensi*, *Owrucensi*, & *Bialocerkieviensi*, nec non ab aliis cætuum Religiosorum Monasteriis. Idem dicendum est de publico itidem solenni ingressu *Zytomiriam* Episcopatus Kiioviensis sedem, quam subsequenti absolvit Dominica, in magna confluentium undique nobilium, & visitantium Pastorem suum Procerum frequentia, *ubi cognovit bonus Pastor oves suas, & cognoverunt eum oves pascuæ eius.* In hac sede Episcopali constitutus *Zaluskius*, plura ibi in bonum Diœcesis redundantia Sollicitudinis Pastoralis dedit documenta. Villas incertæ vel nullius Parochiæ, certis Ecclesiis matricibus iure perpetuo addixit, Archidiaconatum *Czerniechoviensem*, quo Diœcesis huc usque caruit, instituit, pro Suffraganeatu, ut vices Episcopi in Pontificalibus aliquis Prælatus supplere possit, hucusque nulla dote proviso, & proinde Chorepiscopô suô orbato, ut in ævum erigatur, omnem movit lapidem, movetque adhuc, & iam LXX. Florenorum millia, dotis nomine conquisivit, & itidem XV. millia aliunde procuravit, pro seminario, quod dum *vacuæ* hucusque fuêrint *sine numine ædes*, Directore eius & clericis providit. Confraternitatem *Viæ Crucis* in Ecclesia Cathedrali instaurat, Directorium Divini Officii annuum, quo hucusque Diœcesis (vicino *Luceoriensi* subsidiarie usa) caruit, quotannis imprimendum curat, in recens instaurata *Berdyczoviæ* Officina Typographica; Missiones per totam Diœcesim, adhibitis verbi Dei Præconibus e Soc: Jesu, & aliis Religiosis, Ruthenæ etiam, non Polonæ lingvæ tantum gnaris, quantocius inchoaturus. Simili zelo *Zaluskius* Præpositum Varsaviensem agit, nam Ecclesiam *Tarczynii*, Oppidi ad eam spectantis, ex incendio plane colla-

pſam reparavit; mox Noſocomium pro Puellis charitatis, ac ædes pro Neophytis a Iudaiſmo converſis ibidem inſtauraturus. Fundumque certum annuum, pro ſepulchro Domini in Eccleſia Regia Varſavienſi die ſacro Paraſceves, quotannis inſtaurando, in perpetuum inſcripſit. Paulo poſt Eccleſiæ Kiiovienſis lumen & columen Noſter Zaluſkius, adiit *Faſtoviam* Feudum ſuum Principale, ubi olim erat Eccleſia Cathedralis, tempore rebellionis Coſaticæ diruta, & ibi ordinatâ, meliorem in modum re œconomica, & familiari, vicinitate loci, & cupidine priſtinæ Prædeceſſorum ſuorum ſedis viſendæ illectus, movit *Kiioviam* nunc ſchiſmate orientali infectam, & occiduam, (*itane cecidiſti Lucifer*; ! *qui mane oriebaris*) Cathedramque peſtilentiæ effectam. Jllâ in urbe veteris Ukrainæ Poloniæ Metropoli, omnibus humanitatis, & hoſpitalitatis officiis, imo & donariis adhibitis, non ſine retaliatione exceptus, ac prandiis lautiſſimis opiparisque, per ſextiduum tractatus eſt, præcipuè a Gubernatore Provinciæ Comite *Lapuchin*, ab Abbate Cæſareo - *Pieczarenſi* Luca *Bialhuſzevio*, ab Abbate S. Barbaræ *Kalinowſcio*, imo & ab ipſo *Archi-Reyo* (ita ibi ſupremum ſacrorum Præſidem, & alterum a Moſcuenſi Metropolitanum magnæ Ruſſiæ vocant) Arſenio *Mohilanſkio*; Hic licet a ſesqui annô valetudine infirma moleſtatus, die ſacra Arſenii Onomaſtica, ſtudio, ut deſideriis *Zaluſcii* gratificaretur, ſolenni ritu & pompâ, lateri aſſiſtentibus IV. Prælatis, Caſulis pretioſis, & mitris auro gemmisque onuſtis, exornatis, Græcanicam idiomate Slavonico celebravit Liturgiam, adhibitâ ordinatione Diaconi, Noſtro Kiiovienſi Præſule Orthodoxo, curioſitatis gratiâ adſtante, & adhibito curuli, & thurificatione pontificali, omnem honorificentiam (id quod in Religione Schiſmatica anti-Romana mireris; imo titulos ſuperlativos ſesquipedales, uti ſunt *Eminentiſſimi Deſpotæ*, & *Principis*, & alios ultra exigentiam onuſtos, & indebitos) non ſine rubore excipiente. Quid plura? *Zaluſkius* ab Academiæ *Mohilo-Zaborovianæ* Rectore, S. Epiphaniæ Abbate *Nuſczinſkio*, tum & a Præfectis omnium Claſſium in ſuis reſpective Academicis aulis, latino cultiore ſtylo, imo et a recens eo ipſo tempore creato Magiſtratu Urbis, vulgari idiomate, a ſtudioſis vero Gymnaſii varis lingvis conſalutatus eſt.

Ibidem curioſo oculo perluſtravit celeberrimas illas Cryptas *Pieczary* dictas, de quibus Johanni *Herbinio* editum libellum debemus, quem pluribus locis, additionibus et correctionibus locupletiorem, cum tempore Orbi litterato exhibere poterit noſter Kiiovienſis Præſul.

Jlle, redux *Kiioviâ*, Diœceſanam Synodum, cuius nullum olim extitit in his oris veſtigium, *Berdyczoviæ*, incidente eodem tempore Generali P. P. Carmelitatum diſcalceatorum Provinciæ Polonæ Capitulo, celebravit, XX. Martii, et duobus ſequentibus diebus, cuius acta, ſtatutis perpetuis Diœceſanis inſerta, opitulante manu ſui Auditoris, Perilluſtris Reverendisſimi Domini Valentini Joſephi *Kochanowſki* (76.) Cantoris Cathedralis Kiiovienſis, iam Plocenſis, et Pultovienſis Canonici exarata, ſub prælo ſudant. Uti abeuntem in Diœceſim Præſulem omni humanitatis, exhibitione excepêre, Jlluſtriſſimus Excellentiſſimus Franciſcus Saleſius *Potocki* (77.) Palatinus Kiiovienſis, Eq. A. A. *Chriſtianopoli*, in Nuptiis Filiæ (cum Comite de *Brühl* Capitaneo Varſavienſi, Equite Alexandri Nevenſis, Filio Primarii Regis noſtri in Saxonia Adminiſtri, ex Comitiſſa de *Kolowrath*) ac *Craſnoſtaviæ*, Felicianus *Potocki* Caſtellanus Slonſcenſis; ita Diœceſim perluſtranti Præſuli eandem honorificentiam conteſtati ſunt, Antonius Comes *Potocki* Palatinus *Belzenſis*, *S*. Andreae, aquilae albae, & S. Alexandri Eques, Antonius Benedictus Princeps *Lubomirſki* ſupremus Regni Gladifer, Regni Comitiorum moderator, A. aquilae & S. Andreæ ac S. Huberti Eques, Nicodemus *Woronicz* Caſtellanus Kiovienſis, eques aquilœ albœ, et Conſors eius Hedvigis *Jablonovia* Palatini Novogrodenſis equitis S. Spiritus, Fratris amitini Regis Stanislai, et Wielopolſciæ Palatinæ Sandomirienſis germana ſoror (78.) Conſtantinus Comes *Plater* Palatinus Mſcislavienſis cum

cum ſua conthorali *Oginſcia* Palatini Trocenſis Filia, Caietanus *Jlinſki* Capitaneus *Zytomiriæ*, Fundator Conventus Ordinis S. Franciſci ibidem, Adamus *Cholonieuſki* Succameranius *Belzenſis*; & Generalis Maior Exercitus Comes *Błędowſki*, ita redeuntem Varſaviam Præſulem, Helena ex Comitibus Zamoyſkiis *Potocka* Palatina Poſnanienſis, Vidua (79.) Stanislai Equitis aquilæ Albæ (Filii Joſephi Caſtellani Cracovienſis ſupremi Exercitus Regni Ducis, equitis aquilæ Albæ, & *Leſzczyniæ* Regis Stanislai Agnatæ) noſtrum Præſulem invitavit *Zbarazum* in Volhinia, ad concelebranda, pompa Solenni, ſui Mariti, iuſta funebria, quem mox ſecuta eſt ad beatam æternitatem, celebratô Hymenæo Filii ſui Joſephi Capitanei Lezayſcenſis cum Thereſſia *Oſſolinia*, Filia Joſephi Palatini Volhiniæ, Nepte Thomæ Capitanei Nurenſis, (cuius conſors eſt *Lanckoronia* noſtri Præſulis ex ſorore germana, neptis,) & Pronepte Johannis Caſtellani Goſtinenſis, qui in coniugio habet Ludovicam *Zaluſkiam* germanam eiusdem ſororem.

Redux Varſaviam *Zaluſkius*, die, annuæ onomaſticæ Auguſtiſſimi Regis AUGUSTI III. commemorationi ſacrâ, eques (80.) Aquilæ Albæ creatus eſt. Paulo poſt Neſviſium adiit, ibidemque celeberrimum funus bifariam litatum *Hieronymo* ſupremo Ducatus Lithvaniæ Vexillifero, & *Nicolao* eiusdem Ducatus Pocillatori a Celſiſſimo Principe eorum Germano, Michaële *Radzivilio* (81.) Palatino Vilnenſi ſupremo Exercitus Lithuaniæ Duce, una cum affine ſuo Georgio *Tyſkiewicio* Samogitiæ Præſule, (82) & Georgio de *Hilzen* (alias von *Hulzen* (83.) Epiſcopo Smolenſcenſi, Palatini Minſcenſis Fratre, quorum uterque eques torquatus, uterque amicus integerrimus eſt Noſtri Præſulis, bino triduo perfecit. Demum ſalutato prius in tranſitu Jgnatio (84.) *Oginſcio*, ſupremo Lithvaniæ Archimareſchalco, amico ſuo deveneranndo, qui una cum conſorte ſua Helena itidem *Ogińſka*, (*Annæ* Imperatrici Ruſſiæ Autocratrici, tum Curlandiæ Duciſſæ, tenerrima dilectione coniuncta olim) Hoſpitem humaniſſime domi excepit; *Vilnam* Lithvaniæ Metropolim *Zaluſkius* adiit, ex voto viſitandi corporis S. *Caſimiri* prœconcepto, ubi ab Jlluſtriſſimo *Zienkiewicio* Nonagenario Vilnenſium Antiſtite iubilæo, aquilæ Albæ equite, a *Łopacinſcio* ſupremo Litvaniæ ſecretario, equite Aquilæ albæ, a *Maſſalſcio* eiusdem Ducatus Referendario (Caſtellani Vilnenſis, Ducis Exercitus Lithvanici, equitis aquilæ Albæ, amici integerrimi, ex *Oginſcia* Filio (85.) Andrea *Abramovio* Caſtellano Breſtianenſi, *Odachovio* Tribunalis ærarii præfecto, totoque ſupremi Lithvaniæ Parlamenti cætu honorificentiſſime exceptus; a totâ vero Univerſitate *Vilnenſis* Almæ Academiæ (Cracovienſi, ubi noſter Præſul poſt Baccalaureatum Theologiæ Sorbonicum, laureâ utriusque iuris Doctoris, per *Lukinium* Canonicum Cracovienſem decoratus eſt, proximæ,) & utroque Nobilium apud Soc: Jeſu, & Scholarum Piarum Patres Collegio, ſummis laudum præconiis conſalutatus eſt, hoſpitem ſuum præcipue honoribus haud vulgaribus cumulante R. P. Theodato *Niewiadomſki* Domus Profeſſæ Præpoſito, olim ad S. Petrum in Vaticano Pænitentiario, nec non R. P. Jgnatio *Zaba* Palatini Minſcenſis Filio, Almæ Academiae Rectore, qui pro maiore Jlluſtriſſimi Praeſulis honorificentia, actum ſolemnem promotionis in utriusque iuris Doctorem, Domini Antonii *Oſtoia-Zagurſki* equitis, verſionis Polonicae Memoriarum Tacticae ſcientiae, Marchionis de *Santa Cruz-Marzenado* Authoris, in Eccleſia S. Johannis Academica, Illuſtriſſimo Praeſule maioris decoris gratiâ, iuramentum Academicum excipiente, inſtituit.

In tranſitu per *Caunum* (*Kowno*) *Zaluſkius*, *Mitaviâ Varſaviam* properantem Ducem Curlandiae CAROLUM ſalutavit biduo, tum in domo amici ſui priſtini Simonis *Siruc* Caſtellani Vitepſcenſis, Equitis S. Alexandri & iam nunc equitis aquilae albae, tum in aedibus *Zabiello* Caunenſis Mareſchalci, S. Michaëlis Galliae equitis, iam nunc ſupremi Lithvaniae Venatoris, & equitis aquilae albae. Demum Regiomontum deflexit; ab Excellentiſſimo Domino Comite de *Korff* ſupremo Pruſſiae Ducalis pro Autocratrice Ruſſiae Gubernatore, A. A. equite, hocque nomine, ſuo

 Conſoda-

Confodali, lautiffimo convivio, in caetu omnium diftinctioris gradus Procerum, ac Matronarum Pruffieæ, Rusficaeque Gentis illuftrium, exceptus. Easdem hofpitalitatis haud vulgaris conteftationes Ipfi exhibuerunt, Theresfia Comitiffa *Oginfcia Solohubowa*, Palatina Vitepfcenfis, Archi-Marefchallae Lithvaniae Germana, Comes *Staniflawfki* antiquus Domus *Zalufcianæ* amicus, (cum Principe Epifcopo Cracovienfi fimul educatus, apud Francifcum *Zalufki* Palatinum Plocenfem) & Dominus *Saturgus* Catholicorum in illa Metropoli Protector munificus. *Zalufkius* feptimanâ totâ ibi transfacta, Sacramentô Confirmationis pluribus Catholicis, qui a triginta, & quod excurrit, annis, Epifcopum Orthodoxum celebrantem haud oculis ufurparunt, adminiftratô, & luftratis, Bibliothecis, Gymnafio Jlluftri, (in quo promulgationi novi Rectoris Johannis Jacobi *Quandt* per Johannem Godefridum *Tefke* adfuit) & viris litteratis, abiit *Heilsbergam*, ubi tenellam aetatem olim, ad 1711. annum, ad latus Patrui fui Andreae Principis *Zalufkii* Epifcopi Varmienfis, & Sambienfis, Archi-Cancellarii Regni exegerat, ibique a Celfisfimo Principe hoderno Adamo Stanislao *Grabowfki* humanisfimé, uti ille afſvevit, exceptus, Varfaviae fe fe reddidit fuæ.

Redux ab itinere tres memorabiles functiones Ecclefiafticas exegit, nempe, occafione enixi a Principe Regia Poloniae Antonina Bavara partûs, Solemniter hymnum Ambrofianum in Regali Capella intonavit, *in tympano & choro*, *in chordis & Organo*. Demum iufta perfolvit Serenisfimae Mariae Jofephae *Sobiefciæ* Conftantini Principis Regii Coniugi (cuius Fratri Germano Alberto Comiti *Weffel* Caftellano Varfavienfi, nupferat olim eius foror, Theresfia *Zalufkia* Filia Caftellani Ravenfis, hodierni Archithefaurarii Regni Mater) in Ecclefia Sobiefcianae Fundationis Monialium S. Benedicti ab adoratione perpetua Sanctisfimi Sacramenti Varfaviae. In eademque; at privatim, Pro-Cancellarium Regni Comitem Michaëlem *Wodzicki* (86.) Abbatem Clarae tumbae, & *Czervenenfem*, Decanum Ecclefiae Cathedralis *Cracovienfis*, in Epifcopum Praemislienfem confecravit, asfiftentibus fibi Martino *Zalufki* Epifcopo fuffraganeo, ac Praepofito Plocenfi, Duce Sielunenfi, Germano fuo, ac Jofepho *Kierfki* Epifcopo Bolinenfi, Suffraganeo Pofnanienfi, fupremo Regni Secretario, Equite aquilae Albae, idque feftô Patrocinii Tutelaris fui Sancti Jofephi (87.)

In Collegio fenatorum 23. Ianuarii habito, pro deliberatione, an fint a Serenisfimo Rege cogenda extraordinaria Comitia, *Zalufkius* habuit prolixum fermonem, de modis averruncandae pravae monetae extra Regnum cufae, in Senatûs Confilio vero XIII. Maii celebrato, circa primam oris apertionem, *Regi in folio fedenti, & omne malum diffipanti*, pro dignitate Senatoria, publicas egit comptisfimo fermone vernaculo gratias, quorum uterque prodiit in lucem, alter Vilnae, alter Varfaviae.

Nihil amplius fupereft, quam ut vota noftra multis aliorum adiungamus, Deumque ter Optimum, Terque Maximum enixe imploremus, ut Praefulem hunc Jlluftrisfimum, quem ob avita generis decora, eximiam pietatem, fvavisfimos mores, ingenium fublime, maximam eloquii vim, rerum vetuftiffimarum cognitionem, peritiam lingvarum fingularem, & inufitatam erga viros doctos propenfionem, ac incredibilem pene in reftituendis litterarum ftudiis conftantiam, Ecclefiafticae Polonae dignitatis Florem, iure apellaveris, quam diutisfime falvum, fofpitem & incolumem conſervet, atque cuftodiat.



ANNOTATIONES

in Vitam præcedentem, Iof. Andr. ZALUSKII, per Ioh. Andr. *Ianocki* Canonicum Cath. Kiovienfen & Colleg. Scarbim. & Præfectum Bibl. publicæ Zaluskianæ. Numeri Textui præcedenti correfpondent.

[1] Therefiæ *Podkanſcia*, ftemmatis Cervi, amita, monialis S. Dominici, mortua eft in opinione fanctitatis. Corpus eius incorruptum quiescit *Goræ*, quod oppidum prope Varfaviam, *Via crucis*, feu *Calvaria Hierofolymitana* celebre, tot fere Ecclefiis, quot domibus condecoratum eft, ab earum Fundatore Stephano *Wierzbovio* Epifcopo Pofnanienfi, defignato Regni Primate, Ludovicæ *Zaluskiæ* [Caftellani Ravenfis Noftri Præfulis Patrui, confortis,] Avunculo. Vitam & miracula Venerabilis *Columbæ Podkanſciæ* defcripfit R. P. Iofaphat *Hoffman* Ord. Præd.

[2] Germani Fratres *Iofephi* fuere, Celfiffimus p. m. Epifcopus Cracovienfis, Dux Severiæ, *Andreas Stanislaus Koftka*, & *Iacobus* Capitaneus Suleiovienfis, defignatus Caftellanus *Livenfis*, [quam tamen dignitatem Senatoriam, privatæ vitæ cupidus abnuit;] ac Superftes Illuftriffimus Reverendiffimus *Martinus* Epifcopus Drafnenfis, Suffraganeus ac Præpofitus Plocenfis, Dux Sielunenfis, Abbas Suleiovienfis, Infulatus Lafcenfis, Primicerius Cracovienfis. Sorores vero germanæ Iofephi, fuere *Victoria Francifca* Monialis Varfaviæ Salefiana, & Alexandra Comitis de *Breze Lanckoronſky* Caftellani Goftinenfis confors, ac fuperftes *Ludovica*, quæ vivit in connubio cum *Offolinio* [Equitis S. Spiritus Ducis in Francia S. R. I. Princ. ex Archi-Thefaurario Regni, Supremi Aulæ Lotharingicæ Præfecti, apud Regem Stanislaum, cuius Soror amitinâ, ei pactis nuptialibus cefferat:] fratre germano, Capitaneo Droicenfi, iam nunc Caftellano itidem Goftinenfi. *Martinus* Epifcopus elegantiffimam circa fodalitium VI. P. P. Miffionariorum è Societate IESU, una cum Nofocomio erexit Ecclefiam, undique picturis marmora imitantibus fplendido apparatu confpicuam, cui adiecit quoque *viam Crucis* feu XIV. Capellas Myfteria Paffionis Dominicæ adumbrantes, idque duobus milliaribus prope *Varfaviam* ultra *Iftulam*. *Iacobus*, 19 Martii fefto S. Iofephi An. 1756 obiit pientiffime cælebs. De *Brezeana* Familia, in Gallia, ex qua originem fuam deducunt noftri *Zadores-Lanckoronii* ftemmate *Zloto-Golenczyk* dicto, caput Leonis ignem evomentis, præferente, infignes. Lanckoronii ab oppido *Lanckorona* in Palatinatu Cracouienfi, quod fuerat illorum feudum natale, dicti, reperi in opufculo Gallico Ab. d' *Etrees* titulo: *Tablettes*-infignito; Tom. IV. pag. 172. eam familiam iam in Gallia extinctam, initio XV. Sæculi, cum Iohanna *de l' Eftang. de Breze* fuperftes, huius domus illuftriffimæ ultima, nupfiffet Domino de *Maille*, & ita *Brezeorum* nomen tranfplantatum fuiffe in *Mailleanam* familiam. Huius Succeffor fuit Guido Maille, Archiepifcopus Turonenfis in opinione fanctitatis mortuus, An. 1197. tum & Urbanus de *Maille* Marchio de *Breze* Marfchallus Franciæ 1632. Eques S. Spiritus 1637. mortuus 13. Febr. 1650, relicta vidua Nicollia de *Pleffis-Richelieu* famigeratiffimi huius nominis Cardinalis germana. Eorum filius fuit Armanus de *Maille* Marchio de *Breze* Dux *Fronfaci* & *Calvimontis* [Caumont] Par Franciæ, & filia, nupta XI. Febr. 1641. Ludovico VII. Borboniæ Principi *Condeo* Magno dicto, ad Regnum Poloniæ, conatu Ludovicæ Gonzagiæ Reginæ Candidato; *Maria Clementia* hæres ducatuum de *Fronfac* ac *Calvimontis* & *Breze*; quam ultimam Dynaftiam iure venditionis ceffit Thomæ de *Dreux* Parlamenti Confiliario, Patri moderni fupremi Cæremoniarum Magiftri, cuius favore An. 1685. erecta eft in Marchionatum. Cæterum domus Lanckoronia nihilo minus in Polonia inclaruit, nam habuit plures olim Regni Senatoreos, uti legitur in Præfulis noftri MS. codice *Wiienfcii* Canonic. Crac. eiusdem ftemmatis, ad prælum parato, titulo *Familia flammifera Lanckoroniana de Breze*, ubi deducitur hæc domus a *Lucio Vero* Imp. - Mater Beati Ifaiæ *Boner* Ord. S. Aug. Poloniæ Patroni fuit *Zloto Golenczykia*: uti habet Phil. *Elffius* in *Encomiaftico Auguftiniano*, Antverpiæ edito in Folio. In prædicto Abbatis *Etrees* opufculo Parte V. pag. 502. Igitur de Breze II. Magnum Senefchallum Andegavenfem Pictavienfem & Normandiæ Comitem de *Maulevrier* habuiffe filium Iacobum Marefchallum Andreæ M. Senefchallum Normandiæ, qui ex Carolina filia naturali Caroli VII. Regis Galliæ, progenuit Ludovicum de *Breze* Comitem de *Maulevrier* fupremum Rei venatoriæ Gallicæ præfectum, qui ex Dianna de *Poitiers*; [poftea dicta *Duciffa Valentinenfi*] nullam præ-

ter duas filias reliquit prolem masculam. Jacobus *Załuſki* ultimis voluntatis ſuæ tabulis, omnis ſuæ ſubſtantiæ hæredes inſtituit *Neophitas* & Acatholicos ad fidem converſos. Cum hoc *Iacobo* uno ſaltem anno iunior *Ioſephus* noſter, ſtudia pertractavit, *Pultoviæ* quidem in Collegio Soc. IESU ſub Magiſtro Grammatices *Petrowſkio*, *Schultzio* Informatore domeſtico, *Sczucinii* in convictu P. P. Scholarum Piarum ſub Profeſſore Syntaxis, uſus Præceptore Ioh. *Kędzierſcio*, *Varſaviæ* in Collegio eiusdem Inſtituti ſub Profeſſore Poeſeos *Remigio*, Pædagogum habens Ioh. *Woiewodzki*, ac tandem *Petricoviæ* ibidem in convictu Patrum Scholarum Piarum ſub R. P. *Glycerio* eximio oratore. In prioribus quidem locis per ſingulos annos, in ultimo vero per ſolum trimeſtre, nam cum Fratre natu majore Andrea [qui poſtea fuit Epiſcopus Cracovienſis] tum in exteras oras mittebatur, poſtquam Dantiſci, ſub directione R. P. Petri *Henyk* Canonici demum Pultovienſis per quadrimeſtre; Matheſi vacando ſub diſciplina celeb. Prof. Pauli *Patris* ſubſtitiſſet; ubi *Petrum I. Alexovicium* Magnum Ruſſiæ Autocratorem; ad colloquium cum *AUGUSTO II.* Rege Poloniæ ſupervenientem conſalutavit; quem poſtea incognito agentem denuo Lutetiæ Pariſiorum vidit. Vitam Andreæ Epiſcopi, Seminarii Pultovienſis, ac Academico-Cracovienſis, nec non Noſocomii Sororum charitatis in prædictis civitatibus, nec non Montis Pietatis *Kielciis*, ac *Pultoviæ* Fundatoris, brevis, ſum qui hæc ſcribo, exhibiturus.

[3] Hic Ludovicus, & Caſimirus *Bokum*, Procancellarius Regni, Epiſcopus Culmenſis, ejus amicus intimus, junctis in mutua fœdera dextris, in id convenere, ut Ludovicus commendatione *Bokumii*, Nepotem ſuum Andream [cum tempore Cracovienſem] in Coadjutorem Epiſcopatus Plocenſis aſſumeret, & vice verſa *Bokumius* alterum Ejus Nepotem, Ioſephum *Noſtrum*, cum tantum Clericus eſſet, maturatâ ætate in Coadjutorem Culmenſis, & Pomeſaniæ Diæceſis ſibi adoptaret cum futura ſucceſſione; At ſpes vana fefellit utrumque, nam *Bokum* brevi poſt repentina morte e vivis ſublatus eſt; Ludovicus vero inſcripſit quidem præhabito Regis conſenſu, coadjutoriam Nepoti natu majori, at cum ſex menſibus non expletis, diem ſuum objiſſet, niſi Gratia Regis AUGUSTI II. acceſſiſſet, *Zaluſciana* Domus bina expectatione excidiſſet. Hic Ludovicus inſcripſerat pro Collegio Soc. IESU Varſavienſi, hoc pacto, ut a Domo Profeſſa, cum qua nunc jungitur, avelleretur; Palatium ſuum, [quod nunc ad Comitem *Rzewuski* Palatinum Podoliæ, devenit,] & duas villas prope Varſaviam *Okęcie* & *Falenty* dictas, at ob defectum approbationis comitiorum Regni, ab ejus obitu, hæc donatio nullum ſortita eſt effectum, niſi, quod pro 30 m. florenorum a Familia Zaluſciana Patribus Soc. IESU ſolutorum ſumma; Scholæ publicæ extructæ ſint; & ea propter *Gymnaſium Zaluskianum* vocantur; & Agnus Gentilitius in fronte ædificii cernitur. *Zaluskius* noſter volens intentionem piam Patrui ſui aliquo modo explere, Bibliothecam ſuam, hoc pacto, ut ſit loco non amovibilis unquam, & perpetuo & in ævum cuivis pateat mane & ſero ſingulis diebus ferialibus, diſpoſuit, favore dicti Collegii; ita tamen, ut quoad vixerit, non amittat dominium, & uſum fructum Bibliothecæ, Palatii duplicis, ædificiorumque, & arearum contiguarum. Super addidit quoque *Hippodromum* [vulgo *Manege*] quod Celſiſſimus Frater pro exercendis equis inſtruxerat, pro Typographia ejusdem collegii, cum tempore erigenda.

De illo Palatio ſuburbano, olim *Zaluskiano*, nunc *Rzewuſciano*, id ſilentio prætermittere non poſſum, quod in aula ejus præcipua, vulgo *Sallon*, conſpiciebantur Effigies genuinæ omnium a Lecho ad AUGUSTUM II. Regum Poloniæ, ſtaturæ colloſſalis [uti legitur in *Muſantii* Tabellis Chronologicis Sandomiriæ 1722. editis initio Epitomes vitæ eorum.] Item hucusque conſpiciuntur adhuc in laquearibus duorum conclavium, picturæ egregiæ repræſentantes Benedictionem nuptialem Principis Regii *Iacobi* ſacra operante Cardinale *Radzieiovio* Iunoſſita, necnon nuptiarum Electoris Bavariæ cum Principiſſa *Sobieskia* ejus Sorore *Bruxellis*, ritus Eccleſiæ perficiente A. C. *Zaluskio*, Epiſcopo Varmienſi, Principe S. R. I. qui hæc omnia depingi curavit penicillo cujusdam eximii pictoris Itali, tam miro artificio, ut facies omnium Perſonarum utrique Pompæ adſtantium, ſint cujusvis Magnatis, vel Dominæ, genuinæ effigiei conſimiles. Occaſione Ludovici *Zaluskii* Epiſcopi Plocenſis, obſervare hic haud iniucundum iudicavi, tres *Zaluskios* fuiſſe nullo intermedio Plocenſis Antiſtites Cathedræ, quæ hoc habet ſingulare, quod ſtemmate Regum Burgundiæ, ratione Tutelaris ſui S. *Sigismundi* utatur, & quod quivis *Regni Primas* ſit primus natus Canonicus Plocenſis. Id olim in eadem ſede contigit tribus Fratribus *Gulczewjciis*, uti teſtatur, qui ſcripſit vitas Epiſcoporum Plocenſium,

moder-

moderni Primatis Regni Pro Patruus; itidem *Plocensis* Episcopus Stanislaus *Lubinius*, in operibus historicis posthumis *Antverpiæ* editis. In nulla vero præterea Poloniæ Diœcesi idem contigisse in propatulo est, nam tribus Posnaniensibus Præsulibus *Tarlonibus* intermedius fuit *Szembekius*.

Non tantum Episcopi immediate tres fuere *Zaluskii*, sed & eorum suffraganei, nempe Andreæ Chrysostomi, nostri Præsulis Patrui, alter Patruus Martinus I, Ludovici Patrui affinis Paulus Antonius, & Andreæ Stanislai Kostka, germanus, Martinus II. superstes. Cum itaque totâ fere Seculi medietate ab An. 1690. ad 1737. soli Zaluskii præessent huic Diœcesi [uti olim *Parisiensi*, tres nomine *Gondy* Archiepiscopi] accidit, ut *Dembowskio* [post translationem ultimi Episcopi *Zalusky* ad sedem Luceoriensem cum sigillo Regni,] suffecto, bardus aliquis rerum ignarus, quæreret, an *Zaluskia* stirps plane intercidisset, haud dubio autumans, uti olim in tribu *Levi*; hactenus *hæreditate possideri Sanctuarium Dei*. In eadem Cathedra supereminet omnes dignitate *Præpositus*: qui annexum habet, cum iure gladii in aliquot centurias nobilium, Ducatum *Sielunensem*, quo potiti sunt gratia Regiâ V. *Zaluskii*; nempe *Andreas* Episcopus Varmiensis, *Martinus* I; *Ludovicus* Suffraganeus Premisliensis & *Andreas Stan. Kostka* ex præposito Episcopus, ac demum modernus *Miaskovii* Coadiutor, Suffraganeus *Martinus* II.

[4] Qua occasione in lucem edidit ejus opusculum, titulo: *Clypeus cleri Poloni*, insignitum, uti videre est in ejus præfatione opellæ præmissa, ubi Pseudonymum *Koltrzewskium* detegit, & vero nomine *Kostkowscium* vocat, quæ Domus clarissima eadem est cum Domo *Kostkarum*, quæ clarissimum gentis sydus enixa est Divum Stanislaum.

[5] Orationem habuit anno 1725. die 18. mensis Novembris. Legationis socius erat *Sulmirscius* Iudex Exercitus Regni, Vexillifer Braclaviensis, *Komorowii* defuncti Primatis avunculus, Orator eximius, cujus quoque nonnullæ extant orationes scriptæ tersissimo idiomate Polono. Singulare unum & aliud observavi in electione Fautoris mei ad dignitatem Judicis Deputati pro supremo Regni Dicasterio ex Capitulo Cracoviensi. Primum videlicet, quod eidem muneri aptus existimatus fuerit, 22. ætatis annum saltem supergressus, & vix sacris initiatus, cum solito more nonnisi Presbyteri Canonici assumantur. Alterum est, haud minus singulare, quod idem ipse, Legatione & ad Potentissimum Regem, & ad Celsissimum Regni Primatem, functus fuerit, & demum in causis mixti fori, Spiritualis Regestri Auctuarium egerit, quæ munera a pluribus ambiuntur, & nunquam uni soli conferri solent, & ita, quæ divisa beatos efficiunt, is collecta tenuit, *Potockius* Primas hac occasione *Zaluskium* cruce pectorali pretiosa, Episcoporum insigni, ex orientali amethisto, cum voto boni ominis donavit. Tertium singulare id est, quod initio statim functionis suæ, primum usquam in Poloniam adventanti desideratissimo tum Principi Regio, nunc clavum Reipublicæ feliciter moderanti AUGUSTO III. in Cancellarium datus fuerit, supremam aulæ ejus Præfecturam [*Grand Maitre* vocant] agente illius Patruo, Equite Torquato Francisco *Zaluski* Palatino Plocensi; eodemque tempore, minor ejus collega, alter Capituli Cracoviensis Deputatus Iudex Michael *Kunicki* Primatis *Potockii* ex Sorore nepos, a Supremo Regni Parliamento, Legatus; pro consalutatione tam AUGUSTI Hospitis mittebatur, & ita evenit, ut alter Collega peroraret, alter, nomine Principis responderet, qua Cancellarius, *Zaluskius*. Quartum singulare illud est, quod Zaluskius vix sacris initiatus habuerit pro minori Collega Episcopum, nempe is idem *Kunickius*, Canonicus senior ætate, junior stallo stante functione effectus est Suffraganeus Episcopus Cracoviensis, hocque nomine *Lublini* præcedentiam omni conatu prætendebat, at primatus Zaluskio uno labio post plures concertationes adjudicatus est. Sed maxime memorabile in functione nostri *Zaluskii* id fuit, eum; dum in certa causa pro justitia æmulans certaret, cum Stubæ Moderatore; & ita odium ejus incurreret, ac vexaretur, [*beatus qui persecutionem pateretur propter justitiam*,] *Lublino* valere jusso, *Grodnam*, ubi tum Comitia Regni agitabantur [1726.] adiisse, & ibi germano suo, tum Episcopo Plocensi ac Commissionis pro corrigendis defectibus in administranda justitia præsidi, plura revelasse arcana, circa juris & æqui violationes, & malas artes sophisticas a pravis Iudicibus usitatas, quorum notitiâ imbutus frater, illam memorabilem Regni Tribunalis correcturam, a Statibus sancitam promulgavit, frustra obnitente primariarum familiarum præpotentia. Brevi post expletum functionis Iudiciariæ tempus Zaluskius Cracoviâ, Berolinum perrexit, ubi tum A U G U S T U S II. cum Prin-

cipe Regio moderno REGE, ſpatio unius menſis, *Otiis Martis,* [*Campement* Galli vocant] vacabat, ſtipatus Lipskio Procancellario, mox Cardinale, *Rozrazevio* Referendario, [qui fere fatidico ſpiritu Zaluſkio, ante biennium prædixerat, fore ſuum ſucceſſorem] & duobus Camerariis, *Zaluskio* Zavichoſtenſi [qui frater patruelis noſtri Præſulis, fuit poſtea ſupremus Culinæ MD. Litvaniæ præfectus & Eques-Torquatus] & *Kalinowſcio* Vinnicenſi Capitaneo. Valedixerat tum mundo, Epiſcopi Cracovienſis *Szaniavii* germanus, Regni Secretarius Maior Scholaſticus Vilnenſis; Hoc itaque pacto prædictio Rozrazevii ſuum ſortita eſt effectum; nam ille *Szaniavio* ſufficiebatur, Referendariatus vero Zaluſkio ceſſit, inſtante pro eo ad Regem, tum Boruſſiæ regnante [qui Patruum; celeb. illum Andream Chryſoſt. Zaluſkium quoad Varmienſem Epiſcopatum ſuum vicinum, optimè noverat, cum ex perſona, tum per litteras, & nepotem, noſtrum Ioſephum, ſæpius, & quidem ſemper Italico idiomate affectus eſt gratioſiſſime] tum ejus filio, [moderno Rege Friderico III.] primo genito. Dignitas hæc Referendarii de qua Præſul noſter eruditione hiſtorica refertam, prælo paratam habet Diſſertationem, eſt extra Senatum ſumma [nam Referendarii cum Secretariis maioribus de præcedentia certant] & IX. Primates Regni protulit, ex quibus ultimus fuit famigeratiſſimus ille Primas Regni, Princeps Andreas *Olſzovius* noſtri Præſulis Avunculus. Omni tempore debent aſſumi ad hoc Magiſterium duo Nobiles Iuris Patrii periti, alter ſpiritualis [cum ſpe adipiſcendi proxime vacantis Epiſcopatus, vel Cancellariatus] alter Sæcularis ſtatus, id quod, in nulla alia dignitate Regni accidit, ſi ſolum Cancellariatum exceperis, ubi ſimiliter unus ex duobus debet eſſe ordinis Eccleſiaſtici. Collega Zaluſkii, Referendarius Regni Sæcularis, tum fuit Stephanus *Potockius* Primatis Regni germanus, Comitiorum Regni 1725. & 6. ſupremus moderator. Ei ad Mareſchallatus Curiæ curulem evocato ſucceſſit Paulus *Dunin* Regens Cancellariæ majoris, Pater Archi Mareſchallæ Litvaniæ viduæ Principis *Sanguszkiæ;* avus modernæ Palatinæ Poſnanienſis. Hoc mortuo datus ei eſt in ſucceſſorem Antonius *Dembowſki* itidem Regens Canc. qui amiſſa conſorte, & mutatis ſacris, Plocenſi infula condecoratus eſt, nunc Epiſcopus Vladislavienſis. Ei ſuffectus eſt ille Muſagetes & orator mellifluus, carminibus Latio idiomate editis in Rep. litteraria notiſſimus Ant. *Poninski:* quo ad Palatinatum Poſnanienſem evecto potitus eſt Referendariatu Severinus *Rzewuskius* ſupremi Exercitus Regni ducis filius, moderni Campiducis Palatini Podoliæ germanus, tum Pocillator Regni. Illo ad Palatinatum *Volhiniæ* promoto, ſucceſſit demum modernus Regni Referendarius Adalbertus *Siemienski* Caſtellanorum Leopolienſium repective filius & frater, Comitiorum Regni 1744. moderator; Eques, uti & omnes ſupra memorati, Torquatus. Et ita VI. Collegas habuit *Zaluſkius* omnes demum Senatores, *ſi Duninium* exceperis fato immaturo obeuntem, nam *Sieminskius* propediem ad ſenatoriam curulem promovendus, voto omnium judicatur. Sed quod ſingulare eſt: & planè mirum; omnes hos quo modocumque affinitate noſter *Zaluskius* attingit.

Quod *Potockios* ſpectat, vide infra, ſub No. 77.

Duniniam Abaviam habuit Zaluſkius maternam. De hac præcelſa domo, a celebratiſſimo Petro *Dano* Regis Daniæ affine, R. Poloniæ primario gubernii adminiſtro, profecta, videſis infra; Catalogo III. no. 1. *Arletius* &c.

A moderno Epiſcopo Vladislavienſi dum adhuc in ſtatu Sæculari viveret, progenita filia unica, nupſerat olim Oſſolinio, noſtri Præſulis ex ſorore germana nepoti.

Poninſkiorum cum *Zaluſkiis* affinitas deducitur ex Palatini Poſnan. filii, primi thori, Capitanei Oſtrenſis, cum hæc ſcribo, ad Curiam Romanam Reipublicæ Ablegati, conſorte *Kalinowſcia;* nam Kalinowſcii cum *Lanckoroniis* de *Breze;* in qua domo elocata fuit germana noſtri Præſulis, bifariam ſunt colligati: Alteram conſortem *Poninſcius* habuit ſuperſtitem Salomeam Com. *Szembek* poſtremi huius nominis Primatis Regni ex germano neptem, Epiſcopi Plocenſis & Palatini Livoniæ germanam, cuius ſoror amitina eſt vidua Comitiſſa de *Levendahl* Franciæ Mareſchalla, [mater neptis noſtri Præſulis Oſſoliniæ Capitaneæ Drohicienſis,] ipſa neptis ex fratre, prioris Regni Primatis *Szembekii.*

Denique Iohannes *Zaluski* Camerarius Regius; filius Capitanei Reghovienſis ex C. *Kuro-patnickia;* junxit ſibi connubiali fœdere, unicam filiam & hæredem *Rzewuſki* Vexilliferi Lukowiæ, Podoliæ Volhiniæ & Podlachiæ Palatinorum, ac ſupremi Notarii Exercitus, & Subdapferi Regni Equitum Torquatorum agnati.

Præſul

Præsul noster, non tantum Regio Exercitus evolutionum militarium spectaculo interfuit *Berolini*, verum etiam & anno insequenti *Dresdæ*, nam & legitur nomen ejus in Syllabo impresso Magnatum Poloniæ *Muhlbergæ* hospitio exceptorum, A. 1730. per Junium mensem, nisi quod loco Comitis vocetur Princeps *Zaluskius*, cui errori, ni fallor, occasionem præbuisse videtur titulus principis, datus tum duobus Patruis, tum quinque successive Ducibus Sielunensibus, Præpositis Plocensibus, ejus Patruis fratribusque.

Zaluskius noster in illo exterorum ex omnibus Europæ partibus concursu, Olympicos ludos distinctioris ordinis virorum illustrium confluxu fere æquante, multos Duces Principes Magnates Marchiones Comites Barones sibi fecit notos, & aliquos familiares.

[6] Titulus est talis: *Analecta Historica*, de sacra in die Natalis Domini, a Romanis Pontificibus quotannis usitata Cæremonia, Ensem, & Pileum benedicendi, eaque munera Principibus Christianis mittendi, in quibus, exterarum nationum plurima, Poloniæ omnia, exhibentur exempla; Præcipue vero exacta relatio ultimæ horum Benedicti XIII. Pontificis Maximi munerum collationis Serenissimo AUGUSTO Regio Poloniæ, & Electorali Saxoniæ Principi, e fontibus Authorum Ecclesiasticorum, tum & Prophanorum varii Idiomatis petita, & collecta Anno MDCCXXIV. Varsaviæ Typis Sæ. R. M. Scholarum Piarum in 4. plag. 16. Recensetur hoc scriptum in Lipsiensium Germanicis Novis Litterariis anni 1726. p. 796. seq. inque Ephemeridibus Litterariis Theologicis, quæ inscriptæ sunt *Unschuldige Nachrichten* anni 1726. pag. 836. sequen. & anni 1727. pag. 243. sequen. Item in Diario Litterario, cui titulus *Bibliotheque Germanique* Tomo XIII. (6. B.) In Matricula Collegii Iuris-peritorum Universitatis Cracoviensis ita legitur ad 7. Februarii 1724. Absoluta est Promotio pro Doctoratu in utroque Iure Perillustris Reverendissimi Domini Iosephi Comitis de Zaluskie *Zaluski* Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Canonici, Collegiatæ Pultoviensis Archidiaconi, præsentati per M. M. Stephanum Krupski C. I. Professorem, promoti per Rd. Lukini [qui postea fuit Canon. Cath. Cracov.] præmissa decisione Punctorum ex Iure Canonico, cap. Cum in Ecclesia de præbendis & dignitalibus, & ex Iure Civili L. generaliter. c. de Ordine Iudiciorum. Actus absolutus est in præsentia totius AUGUSTI Capituli Cracov. & Professorum omnium facultatum almæ Acad. Cracov.

[7] Hic liber prodiit Varsaviæ ex Typographia Regia Scholarum Piarum anno MDCCXXXI. in 4. alph. 3 cum dimidio.

[8] Reverendus doctissimusque Author, opus hocce præclarum, linguâ latinâ edere volebat, id quod exteris maximæ fane fuisset voluptati, atque utilitati, primus ipse Tomus hac linguâ jam erat conscriptus, at vero *Tarlovia* defuncti Palatini Lublinensis vidua, de Domo *Potockia*, quæ sumptus dederat, ab eo efflagitavit, ut hocce Opus Idiomate Patrio publicaretur, cui mandato, nullo alio invento, qui tam largos sumptus offerret; obtemperare debuit *Niesieckius*.

[9] Duo libri hujus prostant Tomi; alter formis *Breitkopfii* elegantissimis, anno 1728. excusus, continet Iohannis *Barclaii* Argenida, a Venceslao *Potockio* Palatinatus Cracoviensis Pocillatore, hodiernæ Palatinæ Livoniæ viduæ translatum; Alter typis Zeidlerianis Anno 1731. perpulchre expressus, sistit Iohannis *Iablonovii* Russiæ Palatini, Regis Stanislai avunculi, unam & centum fabulas ad *Æsopi* genium conscriptas. Prius opus continuavit, *Bugnotii* interpres RP. *Wyszynski* Scholarum Piarum, quod curâ nostri Præsulis prodiit *Vilnæ*. Alterum exhibet [solo Titulo immutato] ejusdem Præsulis editionem *Iablonoviani* Opusculi Lipsiæ factam.

[10] Opus hoc duobus absolvitur voluminibus, quorum prius 1744. Alterum vero anno 1747. fuit editum.

[11] Opusculi hujus egregii titulus est: *Programma Litterarium ad Bibliophilos, Typothetas, &c. tum & quosvis liberalium artium amatores, sermone partim patrio, partim etiam Latino, conscriptum. Varsaviæ anno 1732. in 4. plag. 8. Ob exemplarium raritatem, & multifariam eruditionem ex Polonico in Latinum sermonem translatum recudi, ac Historiam Litterariam Poloniæ, Lithvaniæ, Prussiæ, & Curoniæ, illustrari curavit Georgius Petrus SCHULTZ Doctor, & Professor Thorunensis. Dantisci MDCCXLIII. Apud Georgium Martinum Knoch in 4to plag.* 10. Recensio ejus extat in Epistola illa Gallica a Reverendissimo *Podkanscio* Scholarum Piarum, olim Illustrissimi Præsulis Theologo, nunc Provinciæ ordinis sui Polonæ Superiore, & moderatore, ad Illustrissimum *Perardum* anno 1743. exara-

cœrarata. Vid. Nouvelle Bibliotheque Germanique ou l' histoire Litteraire de l' Allemagne, de la Suiſſe, & des Païs du Nord Tomo I. parte I. n. IX. pag. 172-181.

[12] Opus hoc ampliſſimum talem præ ſe fert titulum: Leges, Statuta, Conſtitutiones, Privilegia Regni Poloniæ, Magni Ducatus Lithvaniæ, omniumque Provinciarum annexarum a Comitiis Visliciæ, anno MCCCXLVII. celebratis, usque ad ultima Regni comitia: in Typographia S. R. M. & Reipub. Collegii Varſavienſis Scholarum Piarum, ſumptibus publicis, in Folio, Tomus I. anno 1732. editus, Leges Polonorum exhibet, ab anno MCCCXLVII. ad MDXCVIII. Tomus II. anno 1733. publicatus ab anno MDXCIX. ad MDCXI. Tomus III. 1735. vulgatus, ab anno MDCXI. ad MDCXL. Tomus IV. 1737. emiſſus ab anno MDCXLI. ad MDCLXVII. Tomus V. 1738. promulgatus ab anno MDCLXIX. ad MDCXCVII. Tomus VI. isque ultimus 1739. publicæ luci expoſitus ab anno MDCXCVII. ad MDCCXXXVI.

[13] Impreſſus eſt Lipſiæ ex Officina Weidmaniana anno 1733. in Fol. alph. 4. Celeberrimus *Lengnichius*, vir ævi noſtri doctiſſimus, rebusque Polonicis inſtructisſimus, operis hujus perhonorificam fecit mentionem, *in Iuris Publici Regni Poloni Tomo I. pag. 7.*

[14] Prodierunt hæc opuscula Ascetica *Caliſsii* in Typographia Soc. I E S U in Folio.

[15] Prima oratio habita fuit *Samboriæ* in Ruſſia rubra die 15. Februarii 1729. Stanislaus Comes *Chomentovius* Palatinus erat Maſoviæ, Campidux Exercituum Regni, Eques Aquilæ Albæ, Legatus extraordinarius ad Soltanum Turcarum, & Petrum I. Ruſſiæ Imperatores, ſuæque lineæ ultimus. Altera anno 1730. menſe Ianuario Varſaviæ in Eccleſia S. Crucis Presbyterorum Miſſionis in funere Stanislai Comitis *Denhoff* Palatini Polocenſis Campi-Ducis Exercituum Lithvaniæ [ferè ultimi de Domo, nempe quo ad lineam Catholico Polonam:] & hoc in præſentia XXXII. Senatorum. Hoc funus cum ingenti Pompa, & magnificentiſſimo apparatu abſolutum eſt, & ejus ſumptus aliquot Centena Millia florenorum Polonicalium excedebant; quos vidua relicta de Domo *Sieniawska*, nunc Celſiſſimi Principis *Czartoryſkii* Ruſſiæ Palatini Conjux erogare non dubitavit. More apud Polonos recepto; & forte ab ipſis Paganis mutuato, octo Equites cataphracti Equis ſuis inſidentes, omnia & ſingula defuncti Ducis dignitatum in gnia, ad feretrum mortui, vel projecerunt, vel ſummâ dexteritate confregerunt, equis ephippiis nigris holoſericis ad pedes usque involutis, ad id exercitium ſtudio edoctis. Hæc Pompa fuit Regia, totamque Varſaviam in ſui conſpectum, & admirationem traxit. Rex ipſe aderat, ſed incognito. Utrique huic Campiduci affinitate conjunctum Noſtrum Præſulem obſervo. *Chomentovſcio* quidem, nam hujus Mater Palatina Braclavienſis, Filia *Wierzbowſcii* Palatini Siradienſis, fuit germana Soror *Ludovicæ* Conſortis primùm *Lanckoronii* Succamerarii Cracovienſis [cujus affini Caſtellano Goſtinenſi nupſit Soror Noſtri *Zaluſkii*] demum Hieronimi *Zaluſkii* Caſtellani Ravenſis Noſtri Præſulis Patrui. Hic Hieronymus vixit priori conſortio cum *Fredria* [de qua celeberrima Familia, Viro Litterato ſcriptis editis collaudatiſſimo, Andrea Maximiliano *Fredro* Caſtellano Leopolienſi, qui Palatinatus Podoliæ paulo ante obitum adeptus eſt curulem ſuperbiente, extat opuſculum Franciſci *Glinka*, titulo *Iednorożiec*, ſeu *Unicornu*, quod eſt Gentilitium Domus Inſigne.] Hujus *Fredriæ* Mater fuit *Warſzyckia*, ex qua Domo, ultima, Palatini Vilnenſis, Supremi Exercitus Lithvaniæ Ducis Comitis *Pociey* vidua, nupſit Comiti de *Montmorency*, qui ſuperbiunt titulo *primorum Baronum Chriſtianorum* in Gallia, ex eo, quod vulgo credatur eorum Protoplaſtam fuiſſe primum ex Nobilibus Galliæ, qui Chriſtianam amplexus fuerit religionem. Hieronymus *Zaluſki* ex *Fredria* habuit Joſephum Capitaneum Ravenſem pluries Mareſchalcum Confœderationis ſui Palatinatus, Noſtri Præſulis Fratrem Patruelem ac Patrinum. Catharinam *Garczynſkam* Caſtellani Junivladislavienſis [Fratris Palatini Posnanienſis Equitis Aquilæ Albæ] conſortem, & *Thereſiam* elocatam Alberto Comiti *Weſſel* Caſtellano Varſavienſi, germano Adami Epiſcopi Camenecenſis; N. Caſtellani Zakroczymenſis, & Mariæ Joſephæ *Sobieſciæ* conſortis Principis Regii Poloniæ, *Conſtantini*, Johannis III. Filii natu minimi, cujus Thereſiæ unicus Filius *Theodorus* eſt hodiernus Palatinus Lancicienſis Eques Torquatus [& dum hæc ſcribo Supremus Regni Theſaurarius declaratus.] Quod attinet affinitatem Noſtri *Zaluſkii* cum *Denhoffs*, ea deſumitur ex *Denhoffa* filia Gaſpari Palatini Siradienſis ad Imperatorem Ferdinandum III. Legati, Ceciliæ Re-

natæ

natæ Reginæ Poloniæ Paranymphi, quæ fuit Mater *Danielovicia* Capitaneæ Parczeviensis, cujus Filia prior nupsit Nostri Præsulis Patrueli Fratri Chrysostomo Henrico Comiti *Zaluskio* Capitaneo Lublinensi, Equiti S. Stephani Florentiæ, Filio Palatini Plocensis, [& ab ejus obitu *Siedleckio* Capitaneo Iodlovensi.] Altera est consors *Potockii* Castellani Slonscensis. Ultima demum in viduali vivit statu post duos maritos è vivis sublatos, nempe *Malachowscium* Capitaneum Smotricensem Archi-Cancellarii Regni hodierni affinem, Patrem Comitissæ *Gozdkiæ* consortis hodierni supremi Culinæ Regni Præfecti & *Potockium* Castellanum Braclaviensem, cujus Filius ex *Sobieska* genitus consociavit sibi Comitissam *Sapieha* ex sorore neptem Clementis Comitis *Branicki* Palatini Cracoviensis, & supremi nunc Exercitus Ducis Equitis Torquati.

[16] Totus titulus est: *Specimen Historiæ Polonæ Criticæ* constans animadversionibus in Historiam *Ludovici* Poloniæ & Hungariæ Regis, ab Augustino *Kołudzki* descriptam, quibus, ab eo ibidem inserta, & vindicata, a classicis vero aliis scriptoribus commemorata narratio, de violenta statuum Reipublicæ confœderatione, vulgo *Rokosz* ad *Gliniany* anno 1381. 26. Augusti, XII. Procerum Polonorum decapitatione soluta, indissolubilibus Argumentis refellitur, & merum nugamentum pronunciatur. Anno MDCCXXXIII. in 4. alph. I. plag. 5.

[17] Leges, quæ hac Synodo, vniverso consentiente clero, sancitæ, hac insignitæ inscriptione publicam in lucem sunt emissæ: *Constitutiones & Decreta Synodi Diœcesanæ Plocensis sub Illustrissimo Excellentissimo & Reverendissimo Domino. D. Andrea Stanislao Kostka in Zaluskie Zaluski DEI & Apostolicæ sedis Gratia Episcopo Plocensi. Pultoviæ. Anno Domini MDCCXXXIII. die IV. Augusti.* Varsaviæ Typis Collegii Regii Soc. JESU. Anno Domini 1735. in 4. alph. 1. plag. 15. chartæ Augustæ. Oratio Synodalis *Zaluskii* plane singulari exarata est artificio, nam nulla omnino est vox; quæ non sit ex textibus Biblicis desumpta, ita ut eam; medullam Sacræ Scripturæ ad officia Pastorum directæ, & musivo opere coaceruatæ, jure apellaveris. Similes alias duas Orationes Synodales ad Clerum sui districtus habuit *Zaluskius*, Anno 1741. cum Ecclesiæ *San-Deodatensi* in *Lotharingia*, cum jurisdictione Episcopali præesset; & alias tres, cum Synodum Diœcesis Kijoviensis *Berdyczoviæ*. Anno 1760. celebraret.

[18] Particularia Legationis Romanæ *Zaluskii*; leguntur in libro Gallico Anonyme tal titulo: *Histoire des evenemens, qui se sont passés dans les Cours de l' Europe depuis* 1733. *iusqu'en* 1736. - tribus voluminibus in 8. edito, & quidem Tomo 1. pag. 296. Pag. 302. habetur quoque germani ejus *Martini* Episcopi Drafn. Manifestatio.

Zaluskius illo tempore in Clementem XII. qui ante Pontificatum vocabatur *COR-SINUS* tale scripsisse Epigramma creditur.

Ille COR est, ut amet, SINUS est, ut stringat amicos
Quam bene CLEMENTIS nomen & omen habet.

Hac occasione adjiciam ejus acuminosa in Innocentium XIII. & Benedictum XIV. Epigrammata.

In mortem Innocentii XIII. qui vocabatur *Dux-Poli* [Conti]

Nil tibi Sancte Pater, mors abstulit improba, crede
Namque *Poli* Princeps, nunc eris, ut fueras.
Nic wcale nieuigła ci śmierci potrzeba
Żyiąc byłes dziedzicem *Poli*, teraz *Nieba* [in *Zbior* Tomo. 3. p. 465.]

In Benedictum XIII. [Prosperum *Lambertinum*.]

Lambertinus hic est Romæ decus & Pater orbis
Qui terram scriptis docuit, virtutibus ornat.

Cum vero Romanus *incolatus*, *prolongatus* fuerit *Zaluskio* fatalis, ita afflictum solabatur animum.

Roma non Amor.

Do Rzymu zwykle chodzą ludzie po odpusty,
Przeciwnie bytność Rzymska grzech moy y dizgusty
Przynosi. Co tam biorą winy Rozgrzeszenie.
To ia tam swe zaciągam z kara Przewinienie.

In Novis Hebdomadariis Gallicis *Bernæ* in Helvetia publicatis, Anno 1735. sub No. 15. 64. 66. & 69. occurrit mentio Legationis Romanæ nostri *Zaluskii*. En genuina verba ultimi folii;

„Le Bruit court, que cette Resolution [de la Cour de Rome] consiste a „offrir un chapeau de Cardinal a la nomination du Roy Stanislas, pour satisfa- „ction, de ce qu'on ne luy a pas tenu parole, au sujet de l' Evechè de *Coulme* „[pour son Envoyè l' Abbè Comte de *Zaluſki.*]„ Hic loci dicitur, occasione denegationis Episcopatus Culmensis *Zaluſkio* nostro, Clementem XII. inclinatum fuisse Cardinalitiam dignitatem conferendi ad nominationem Regis *Stanislai*, quæ probabiliter *Potockio* Primati tum obtigisset, si Ministerium Gallicum maiore instigisset conatu. Mortuo Anno 1738. *Potockio*, voluit equidem Rex *Stanislaus* hanc eminentissimam in Romana Ecclesia dignitatem *Zaluſkio* procurare, at, ne *luctam honoris cum defectu pati cogeretur*, cum Supremi Lotharingiæ Eleemosynarii pensio sit exigua, & nullus Episcopatus imo nec Abbatia tum in Lotharingia vacaret, hæc res non successit. His tamen diebus *Zaluſkii* in illa dignitate immediatus Successor *Choiseulius* Archiepiscopus Vesontionensis [*Besançon*] Primas Lotharingiæ, ex designatione Prætendentis Angliæ Serenissimi, *Pater Purpuratus* nominatus esse dicitur.

Cæterum in prædictis *nouis hebdomadalibus Bernensibus* no. 64. singula nomina propria, sunt erronea ortographia, pessime exarata, nam loco *Coulme*, *Zaluſki*, *Grabowſki* legitur ibi per sphalma *Ulme*, *Zaluſchi*, *Proboſki* &c.

In hoc itinere, Roma Lutetiam pergenti *Zaluſkio* [cum Nepote suo, Francisco *Lanckoronio* hodierno Capitaneo Ravensi, ac ejus Pædagogo *Nebelio* Episcopi Suffraganei Moguntini Fratre, emenso,) memorabile quid accidit Liburni (*Livorno*) in Hetruria. In eodem diversorio cum illo morabatur aliquis emissarius larvâ adscititii nominis tectus, at de facto (uti postea rescivit Zaluskius) germanus Antesignani Rebellium Corsicanorum *Rivarolæ*. Is itaque homo Pseudonymus, persvadebat *Zaluſkio* in summo arcano, ut Regi Stanislao, Thronum Poloniæ tum deocupanti, nomine consortium, Regnum *Corsicæ* polliceretur, modo se quantocius in persona sisteret, & intrusum Baronem *Neuhoffium* adscitis copiis Gallicis depelleret. *Risum teneatis amici.*

Zaluſkius in suo Gallico itinere *mores hominum vidit*, & *Urbes* non paucas, uti *Viterbium*, *Senas*, *Florentiam*, *Liburnum*, *Genuam*, *Mediolanum*, *Insulas Borromæas*, *Comum*, *Basileam*, *Lucernam*, *Tigurum*, *Genevam*, & *Lugdunum*. *Lutetiam* advenit in pervigilio Nativitatis Domini 1736, Regemque Stanislaum salutavit in Palatio Regio Suburbano *Meudon* dicto, ubi nunc est Residentia Regiorum Galliæ Infantum, Serenissimi Delphini Filiorum. In eo per tres menses habitavit, & non nisi 2. Aprilis die cum suo hero in *Lotharingiam* profectus est. Quo temporis spatio trimestri, præter quod olim sibi notos visitavit Prælatos, nempe Josephum *Languet de Gergy* Archiep. Senonensem (Sens) ejusque fratrem celeberrimum S. *Sulpitii* Curatum, tum Gilbertum de *Montmorin de Saint-Herem* Episcopum Lingonensem (Langres) Parem Franciæ Commendatorem S. Spiritus; qui olim fuerat Director minoris Seminarii Sansulpitiani, dum in maiore ageret *Zaluſkius*, & deinde Episcopo. d' *Aire* Patri suo, in coadiutorem suffectus est, nec non Dn. *Couturier* Generalem Instituti San-Sulpitiani Præpositum, amicum suum intimum, omnibus Proceribus, & Magnatibus Galliæ, Cardinalibus, Episcopis, ut & dignitatis primariæ Matronis aulicis innotuit, ad convivia Principum sanguinis Regii, Cardinalis *Fleury* & *Polignaci*, Ducum Parium, ac Procerum Galliæ, nec non Legatorum exterorum sæpe admissus, in assistentia Hero, cum affine suo, Duce *Oſſolinio* (cognati sui germano) qui 2. Feb. Festo Purificationis B. V. Mariæ in solenni Equitum S. Spiritus promotione, una cum duobus amicis *Zaluſkii* intimis Italis, Principe *Vaini* & Marchione *Monti* nuper in Polonia Legato, in cœtum illum Augustum cooptatus est. Hac occasione *Zaluſkius* noster Arborem Genealogicam Comitum *Starzonum de Tenczyn-Oſſoliniorum* conscripsit, & in amplissima Tabula patenti Dn. *Clairambault* Equitum S. Spiritus Heraldices præfecto exhibuit, operi suo Genealogico inserendam.

(19) S. *Radulphus* (*Raoult*) olim Roma attulerat partem insignem Sacrorum Lipsanorum S. S. *Perpetuæ* & *Felicitatis*, quam reposuit in Ecclesia *Deverensi* propè Bituricum (v. *Crojet* Exercices de *Piete* XI. Martii p. 169.) Inter alia librorum donaria Reginæ Christianissimæ a *Zaluſkio* exhibita, fuit quoque Precatorius libellus; titulo: *Tarcza Duchowna* i. e. *Scutum spirituale* insignitus, cui ille alludendo ad suam Abbatiam *Fontaneti* tale inscripsit Epigramma.

Chwa-

Chwalic BOGA naucza ta *Duchowna Tarcza*.
Ktorego za tarcz tyśiąc Obrona wystarcza.
Naśladuy y ty BOGA Nayiaśnieyśza PANI,
Bądź mi TARCZĄ w potrzebie, przy łaskawey dani,
Przemień *Fontanę* w studnią Obfitszą swey łaski
Cały Zdroy na TWE Chwały wyleię Parnaski.

De collatione dignitatis Magni Lotharingiæ Eleemosynarii *Zalusķio* habetur in *Hubneri* Supplementis Quæst. Hist. T. 8. pag. 307.

(20) *Ossolinorum-Starzonum* Domus eadem cum *Tarlonibus* est, & Comitum in *Tenczyn* titulo a pluribus sæculis superbit. Inter XII. Palatinos post *Lechum* gubernacula Regni tenentes fuit ex eorum Aboriginibus unus *Starza* dictus. A. Ferdinando II. Imperatore titulum Principatus S. R. I. obtinuit, Georgius *Ossolinski* per diploma, quod legitur in *Okolski* Orbe Poloro; posteri tamen Ejus per modestiam hoc titulo abstinent in Regno, & utuntur tantum extra Poloniam. Arborem Porphyrianam *Tarlonum-Starzonum* ab Equite Polono, Dn. Pribislao *Diamentowski* studii Genealogici apprime gnaro; (quem primum p. m. Episcopus Cracov. ex Russia Varsaviam conduxerat, & qui iam confec t prius Genealogiam exactissimam *Junosso Zaluskianæ*, dein *Junosso Bielinskianæ* Familiæ pro Archi Mareschallo Regni,) his diebus conscriptam in Typographia *Mizleriana* imprimi curat M. Dn. Comes Adam *Tarlo* Capitaneus Goscinensis, Bartholomæi, Petri & Iohannis Episcoporum Posnaniensium, Iohannis Sendomir. ac Adami Lublinensis Palatinorum nepos seu pronepos, seu resp ective agnatus, matre Comitissa *Mencinskia*, (Sorore Dapiferi Regni Equitis Aquilæ albæ, ex qua domo fuit venerabilis Albertus *Mencinski* SocJESU in Japon a Martyr) progenitus, amicus nostri præsulis & duplici nexu affinis, ex capite consortis matre *Lanckoronia* natæ, & ex capite neptis Zaluskii Comitissæ Lovendahl-Ossoliniæ, quæ *Tarloviam* habuit aviam maternam. *Ducatus Galliæ* fuit personalis pro Maximiliano Francisco *Ossolinio* Equite S. Spiritus. Prædictus Georgius Sigismundo III. in favoribus, fuit Legatus Vladislai IV. ad Urbanum VIII, & tanta pompa Legationem absolvit Romæ, ut testatur impress. relatio Italica A. 1633. & Ichnographia, æri incisa a celebri Chalcographo de la *Bella* in folio pluribus ulnis patente, ut nihil splendidius in Urbe unquam visum fuisse passim memoretur. Sermones Ejus in hac legatione, & pluribus aliis habiti, prodierunt *Dantisci*, in 4. & demum *Sendomiriæ* titulo - *Mercurius Sarmatiæ* in 8. Habetur aliqua notitia de hac Domo in Polonia insigni, in Abbatis d' *Etrees* Opusculo titulo - *Tablettes* - edito, Parte III. pag. 61. ubi tamen aliquot occurrunt sphalmata, hic a me corrigenda.

Loco *Tenezin* legatur *Tenczyn*. Aliqui Genealogiarum ignari; legunt *Tencin*; & nomen commune faciunt cum Cardinali nuper emortuo *Tencin* Lugdunensi Archiepiscopo; at maxime hallucinantur; cum nulla intercedat præter nominis, Gallico modo prolati, affinitatis inter has domos connexio. Loco *Szamowska*: legatur *Szaniawski* qui fuit Subdapifer Regii Principis huius nominis Episcopi Cracov. nepos.

Dele hanc vocem *ainée* (nam hæc sola & unica est filia superstes Ducis Ossolinii) in ejusdem Authoris - Memoires Chronologiques Genealogiques & Historiques 1752. pag. 409.

Item in Tomulo anni 1755. pag. 185. addatur, Ossolinius Ducis filius natu maior *Josephus* est actualis Palatinus Volhiniæ. Thomas vero olim Eques honoris (*Chevalier d' honneur* vocant:) Catharinae Reginae Pol. Ducissae Lotharingiae, nunc Capitaneus Nurensis, duxit in coniugem, nostri Praesulis ex germana sorore *Lanckoronia de Breze* filiam Tereſiam, ex qua nactus unicam filiam, nuper elocavit Rocho Comiti *Jablonovio*, Castellano Vislicienſi, Regni Senatori.

Fontaneti Abbatia prope oppida *Montbard* & *Semur* dicta, in Burgundia, est filiationis Claraevallensis in Diœcesi Augustodunensi (Autun) in districtu *Baillage* d' *Auxois* dicto. *Montbard* olim *Mons Bardorum* dictus locus, fuit *Druidarum* apud priscos Gallos flaminum lucus; (vide *Varietes historiques* pag. 433.) dein facta est Patria Comitissæ de *Montbard* S. *Bernardi* clarissimi Ordinis Cistercienſis Syderis, matris. Nunc Civitas illa subiacet partim nostro *Zalusķio* qua Abbati Fontaneti, partim celeberrimo *Historiæ naturalis* scriptori, Regii Horti Botanici Lutetiae praefecto, Domino de *Buffon*, Academiae scientiarum Membro. Ad eandem Abba-

tiam spectat Castellum S. *Remigy*, palatio vetusto quidem at satis commodo exornatum, quo, Dux Aurelianensis ad Divionenses pro Comitiis Burgundiae abituriens & rediens, pro hospitio uti solet. Ecclesiam Fontanetensem superstite, imo spectante Divo Bernardo, consecravit ejus discipulus olim, ad quem Libros de *Consideratione* perscripsit, Papa *Eugenius*. *Villariæ Betnaci* Abbatia, est inter *Metas* (*Metz*) & *Thionis villam* civitates; in Regione Lotharingiae limitropha *Tres Episcopatus* dicta, quo nomine *Zaluskius* qua loci illius Abbas possidet in priori illa primaria Urbe, amplam aedem, *la Cour de Villers* dictam. Duabus ab Abbatia solitario loco sita leucis, moratur in suo feudo Genitor Domini *Durand*, nuperi Gallici apud nostrates Ablegati, itidem, uti & ille Consiliarius Parlamenti Metensis. Audivi a quopiam, in praedicta urbe Metensi, quae Judaeos recutitos patiatur sola in Gallia, Synagogae praesidem Rabbi egisse, quem iam Judaeum Polonum, ex oppido *Zaluskii* nostri, nepotis, *Zauicbostia* oriundum.

Vanchocia est Abbatia cum oppido optima cerevisia celebri, in Diœcesi Cracov. haud longe *Radomio* ubi singulis annis *Supremum ærarii Tribunal* suum obtinet dicasterium. Fundata est a *Getkone* (Gedeone) Episcopo Cracov. Ante. hos 60. annos eandem obtinuerat nostri praesulis Patruus, celeb. ille Andreas Chrysost. Princeps *Zaluskius*. Hoc loco observo, omnes tres nostri praesulis Abbatias, esse Ordini Cisterciensi addictas, (imo talis est & *Præmetensis* quam ille deperdidit, *Hebdovienfis* vero est Ord. Praemonstratensis) ita ut *Zaluskius* agnus dicere queat-*Hinc & inde pascor ab ubere trino, mellifluі: potius lactiflui;* Praesulis *Cistertii*.

(21) Extat Claudii *Sommieri* Archi-Episcopi Caesariensis Magni S. Deodati Praepositi (Nostri *Zaluskii* in hac dignitate Praedecessoris) vitae curriculum, & series editorum librorum in *Niceronii* Memoires litteraires, & in *Joecherii gelehrtes Lexicon* T. 4. p. 673. (ubi dele, quod fuerit Poëta, & loco *Brouilliey* lege *Brisacier.*)

Edidit inter alia Apologiam Historicam Ecclesiae S. *Deodati* (Saint Diez) contra praetensiones Episcopi *Tullensis*, San. Deodati 1737. Habet quoque Illustrissimus Praesul Codicem MSS. Gallicum Francisci de *Riguet* Praepositi Infulati S. Deodati (qui Sommierium praecessit & olim fuit Ducis Lotharingiae in Poloniam 1669. Legatus,) titulo-*Traite des Grands Prevots de l' insigne Eglise de Saint-Diez, & de leurs droits & Jurisdiction* p. 58. in 4. Immediatus vero *Zaluskii* in dignitate Magni Praepositi S. *Deodati* praedecessor, *Sommierio* suffectus; fuit Abbas Baro de *Mahuet* filius Comitis de *Lupcourt* & Mariae Nicolliae de *Hoffelise* filiae Camerarii & Culinae praefecti Ducis Leopoldi. (vide *Etrees* Tablettes Parte VII. p. 203.)

Occasione huius Praelaturae, in Lotharingia omnium primariae, Zaluskius obtinuit a Rege *Stanislao*, Lotharingiae & Barri Indigenatum, cum paulo ante, occasione *Fontaneti* Abbatiae, donatus fuisset a Rege Christianissimo, *litteris*, ut aiunt, barbare Galli, *naturalizationis*; Inter Praedecessores *Zaluskii* in primaria Lotharingiae dignitate Praepositi Magni S. Deodati, imo *Primatu Lotharingiæ* praecellentiore (non quidem quo ad proventus, qui plurimum diminuti sunt, nam jus cudendae monetae, salis & argenti fodinas, quas olim habebant, amiserunt Praepositi Magni, sed quo ad praerogativas, nam habent propriam Diœcesim S. Sedi immediate subjectam, in Provincia Trevirensi, cum Primates nullam exerceant extra propriam Nancejanam Ecclesiam jurisdictionem) numerantur plures Episcopi, Archi Episcopi, & Cardinales, IX. Principes e Sanguine Regio-Ducali Lotharingiae, imo & unus Summus Pontifex; Nempe Leo IX, secundus in ordine Magnus Praepositus Sandeodatensis, dictus *Bruno* ante Pontificatum, Anno 1026. Solennem ad hanc dignitatem, in Lotharingia primariam, ingressum *Zaluskius* fecit Dominica Passionis 1740. quem sua praesentia dignatus est ipse Rex *Stanislaus*, idque in maxima Populi frequentia, tum ad Missionem Apostolicam celebris Jesuitae *Pichon* unde quaque ad oppidum Sandeodatense (Saint Diez) in montibus Vosagi (Voges) confluente, qui Rex, & Dux Lotharingiae, in Palatio Zaluskii biduum ibidem peregit, lautissime ab eo, & Capitulo Sandeodatensi XXIV. Canonicis Nobilibus Lotharingis constante exceptus, cum toto Comitatu Regio. *Zaluskius* hac occasione ex privilegio antiquissimo suorum in ea dignitate Praedecessorum; usus est Cruce pectorali, & Colore Violaceo, imo destinabatur a Rege praedicto ad Episcopatum, (si forte erigeretur) hujus loci, quod olim moliebatur Dux *Leopoldus*, hodierni Augustissimi Caesaris Genitor Augustus, quo circa conduxerat ad dictum oppidum *Firraum*, tum apud Helvetos Nuntium, qui postea Clementis XII. Secretarius status, & Cardinalis fuit, qui ibidem per aliquot menses ex commissione Pon-

tificia

tificia quaeſtionem agitavit, & tandem in deciſis concluſit – *conſtare de neceſſitate maxima erigendi novi Epiſcopatus* –. Verum obnitente tunc Gallica factione, nunc vero Epiſcopo Tullenſi lymitropho, haec res non dum in praeſentem diem ſuum ſortita eſt effectum. Non hac ſola ſpe excidit *Zaluſkius*. Acceſſit & altera occaſio promotionis ſuae, quae ſimiliter evanuit. Ab obitu Cardinalis *Biſſy* vacabat Epiſcopatus *Meldenſis* (Meaux) prope Lutetiam, ad quem omni conatu promovebat Rex Stanislaus ſuum loci ordinarium Scipionem Hieronymum *Begon* Epiſcopum Tullenſem, eo intuitu, ut Epiſcopatus Tullenſis (*Toul*) cui titulus Principis S. R. I. annexus eſt, ſuo ſupremo cederet Elemoſynario, at *Zaluſkium* qui *Flos fuerat infelix, fortuna feſellit* per *Florium*. Cardinalis nempe *Fleury* Regi *Stanislao* tum infenſus, collato tanquam ex inſidiis, praecoci citra ſuam conſvetudinem nominatione, Epiſcopatu Meldenſi *Fontenillo*, hanc diſpoſitionem Regis Stanislai, quae *Zaluſkium* Poloniae in aevum eripuiſſet, maligno, at pro Nobis prorſus felici praetervertit conatu.

(22) *Catharina* Regis *Stanislai* conſors, Reginae Chriſtianiſſimae Genitrix, de domo *Bnin-Opalinſkia* (quae eadem eſt cum *Bninſkiis* ſtemmatis *Navium*; ex qua Comes *Bninſkius* Caſtellani Kovalienſis filius, nuper in conſortem duxit Brigittam *Zaluſkiam*, noſtri Praeſulis, ex fratre patruele. *Ioh. Proſpero* Culinae Litvaniae Ducatus Praefecto Equite Torquato, neptem) Zaluſkio dum Romae agebat, transmiſerat Diploma; pro dignitate aulae Reginalis ſuprema, *Cancellarii* (quam Patruus illius geſſerat provinciam apud Reginam *Sobieſkiam*) at haec Nominatio per viciſſitudines Polonae electionis; plane evanuit. *Zaluſkius* dum *Catalauni* in Campania (Chalons) cum praedicta Regina *Catharina* (cujus magno favore nitebatur) in itinere Pariſino ſubſiſteret, vidit, mirabile dictu, vidit inquam, puellam in ſylvis educatam, & anno aetatis decimo repertam inter feras, cujus hiſtoriam nobis deſcripſit anonyme Domina *Hecquet* Pariſiis 1755. tit. *Hiſtoire d' une ieune fille Sauvage*.

(23) Hoc negotium Archiepiſcopatus in partibus, Romae annuente Rege *Stanislao* tractaverat favore *Zaluſkii* (eo tamen inſcio.) *Belſuncius* Epiſcopus ni fallor *Maſſilienſis* ſeu *Montis peſſulanus*. Praeter modeſtiam *Zaluſkii*; interceſſit & aliud motivum politicum abnegationis Archiepiſcopatus *Caſarienſis* ab obitu Claudii *Sommier*, noſtri *Zaluſkii* in Praepoſitura S. Deodati, praedeceſſoris, vacantis. In Galliis dumtaxat, Praelati Familia illuſtri prognati nunquam Titulares Epiſcopatus, vana nomina re vacua, titulum ſine vitulo, acceptare ſolent, id quod tamen in Polonia contingit, paſſim ſemper, nam ibi Titulares Epiſcopatus conferuntur ſolis Presbyteris ad miſſiones Apoſtolicas deſignatis, paſſim plebeio ſanguine ſatis, ita ut aliquomodo dici poſſit; – *Benedicere & ſanctificare* – eſſe Chorepiſcoporum, – *Regere* (autem) & *gubernare* – Epiſcoporum; & ita diſpeſcatur ille Apoſtoli Gentium textus – Qui Epiſcopatum deſiderat; *Bonum* – *Opus* deſiderat, nempe *Bonum* Epiſcopis, *Opus* vero relictum fuiſſe Suffraganeis.

Ut e diverticulo ad Regiam viam, redeam, obſervabo, jacturam Zaluſkii in amiſſis Abbatiis Premetenſi & Hebdovienſi in Patria, multo melius compenſari potuiſſe in exteris, ſi illi ſucceſſiſſet poſtulatio ad Abbatiam *Stabulenſem* cum *Malmodienſi* junctam, quibus ſacri Romani imperii Principatus adjectus eſt, quam Anno 1741. in Julio promovebat Abbas Comes d' *Argenteau* Princeps de *Montglion* Canonicus Cathedralis (*Treſoncier* vulgo vocatur) Leodienſis, Palatinae Plocenſis *Zaluſkiae* Patrui Noſtri Praeſulis conſortis, Comitiſſae de *Riviere d' Arſchot* annis, munitus inſtantialibus litteris aulae Gallicae, & Lotharingicae, at ob morbum variolarum huic Praelato ſupervenientem, qui eum in adeundo electionis loco praepedivit, res illa haud ſucceſſit, & dum ob *maledictam* luem *Zaluſkius* poſtulatus Abbas fieri non poſſet dum *vellet*, electus eſt monachus *Benedictinus* dictus *Nollet*. Joſepho *Nolleto* 14. Sept. 1741. electo, 16. Sept. 1753. mortuo, ſuffectus eſt Alexander *Delmott* Comes de *Logne*; qui itidem obiit 14. Dec. eiuſdem anni.

(24) Filius ejus unicus *Michael* Capitaneus Chencinenſis, mortuo Patri nuper in Palatinatu ſuffectus Eques Aquilae albae, deſponſavit ſibi Potockiam Filiam Caſtellani Slonſcenſis, ex Comitiſſa *Danielovicia*, Matris Johannis III. pronepte prognatam, ſororem amitinam Franciſci Comitis S. R. I. & de *Heer* – *Riviere d' Arſchot Zaluſkii* Capitanei Groiecenſis Praeſulis Noſtri Nepotis. Loco *Bulau* legatur ita – Carolus Hermannus *Finck* von *Finckenſtein*.

(25) Verum equidem est, Ejus Avunculum Andream *Olszovium* Primatem primumque Principem Regni, cum adhuc esset Procancellarius, & Episcopus Culmensis, Bibliothecam suam selectis libris refertam almae Academiae Cracoviensi jure perpetuo donasse, eo pacto, ut cuivis litterato patens esset, at illa laudabilis intentio Fundatoris, in hunc usque diem praetextu retentorum (si, bene conjicio) annuorum censuum tabulis donationis inscriptorum, suum plene non sortiebatur effectum. At dum haec scribo, patula quidem est Bibliotheca, sed Lectoribus caret, Professoribus, & Studiosis Academicis, exercitiis scholasticis in dies occupatis, ut taceam, nullos ibi novos libros, nec exterâ linguâ scriptos reperiri. De hoc Præsulis nostri Avunculo *Olszovio* egregium habetur Elogium in Galeazzii *Gualdi - Priorati* Historia Italica Imp. Leopoldi 3. vol. impressa Vindobonæ; Tomo II. ubi quoque ejus effigies sculpta cernitur.

Occasione erectionis Bibliothecæ publicæ in Universitate Cracoviensi, An. 1671. factæ ab Avunculo nostri Præsulis celeberrimo Primate Regni *Olszovio* duplex prodiit in lucem applausus; alter insignis Oratoris & Poetæ *Biezanovii* (quo nomine pensione Regiâ a *Colberto* aerarii Gallici præfecto donatum fuisse dicunt) alter *Przeuoscii*. En titulos utriusque scripti.

Stanislai Iosephi *Biezanowski* Ph. D. Collegæ minoris Poeseos Professoris. Aurifodina Sapientiæ in Bibliotheca Almae Universitatis Cracoviensi, novo immortalis beneficii genere ab Jll. & Rev. Dn. Andrea *Olszowski*. . . Ep. Culmensi & Pomesaniæ Regni Poloniæ Pro Cancellario, litterarum & litteratorum Mœcenate amplissimo, usui publico magnificentissime aperta, & in solenni sua apertione perennis memoriæ & gratitudinis ergo, rei litterariæ publicæ nomine celebrat a. 1671. die 13. May. Cracoviæ in officina Schedeliana. 3. plag. Fol. Stylo lapidario & carmine Francisci *Przeuoski*. Phil. & Med. Doct. Collegæ maioris. Oratio titulo - Immortalis munificentia, Jll. & Rev. D. Andreæ Olszowski &c. dum Bibliotheca Universitatis Cracoviensis, cum solenni applausu, raro exemplo communi Musarum Alumnorum usui aperiretur, 1671. 13. May. celebrata - Cracoviæ ap. Iac. Moscicki 4. pl.

(26) Hic, opus singulare in laudem Bibliothecæ Zaluscianæ publicavit sub titulo - *Corona Urbis & Orbis, gloria & gemma Regni Poloniæ, universitas scientiarum publica, amplissima & celeberrima Bibliotheca Zalusciana ab imis fundamentis, usque ad Culmen, sermone ligato erecta Cracoviæ 1747. in 4. maiori.* Vix exprimi potest; quantas invidias æmulationes sarcasmata, imo & persecutiones sustinuerit noster Præsul, occasione huius *Bibliothecæ publicæ* erectionis, sed omnia constanti animo sustinuit & pro nihilo reputavit, nihil nisi utilitatem publicam præ oculis habendo. In Ejus collectione Carminum Tomo III. pag. 456. incidi in sequens epigramma, quo respondet stulto secundum stultitiam suam cuidam litterarum osori.

Apologia Osoby y Biblioteki.

Głupi rozum, nie rodzi nigdy mądrey mowy,
Z pustey stodoły nocne wylatuią sowy.
Zli według swoiey złości, dobrych nienawidzą,
Y gdy są źli, dobremi się bydź sobie widzą.
Złe zwierciadło, złą postać wyraża. Kto lega
W piecu, taki ożogiem drugich zwykle sięga.
Cudze źle na blask słońca, swoie pod cień; zgoła
Z cudzym w kąt choć dobre, swe wiedziesz na środ czoła.
Złemu oku, wszystko się źle, wspak, krzywo widzi,
Nieuk zwykle z uczonych, prostak z mądrych szydzi.
Sam Osieł, cudze dzieła szarpiesz. Co za dziwy:
Członek, głowę uczczoną, taxuie wstydliwy.

(27) Cum ad Episcopatum eveheretur *Zaluskius*, in hujus Abbatiæ Coadjutorem sibi assumpsit ignatium Comitem *Krasicki* Præpositum Cathedralem Præmisliensem, Celsissimi Principis Episcopi Cracoviensis Caietani Comitis *Sołtyk* affinem, carmina haud invitâ minervâ Patrio sermone scribentem. In Genealogiâ Zaluscianâ reperi, agnatam Martini *Krasicki* Palatini Podoliæ, fundatoris Carmelitarum Disc. Premisliæ, (qui titulum S. R. I. Comitis pro se & successoribus suis a Ferdinando II. Imp. obtinuit;) fuisse matrem *Koniecpolscii* Patris quartæ consortis & ultimæ Avi paterni nostri Præsulis, Alexandri Zaluskii Palatini Ravensis. Conf. *Niesiecki*. Tomo I. pag. 693. In Abbatia itidem Villariæ - Betnaci prope *Metas* & *Virodunum* in Lotharingia, Zalu-

Zaluſkius coadjutorem ſibi adſcivit, Camillum Principem dè *Rohan* Filium Principis *Montalbani* (*Montauban:*) ex Domina Palatii Reginæ Chriſtianiſſimæ Marchioniſſa de *Mezieres*, (cujus Mater eſt ex Illuſtri Angliæ *Oglertorpiorum* familia) nepotem *Rohan Gvimenæi* Archiepiſcopi Remenſis, primi Ducis & Paris Franciæ, & Cardinalium *Rohanorum* Epiſcoporum Argentinenſium, Supremorum Galliae Elemoſinariorum.

(28) *Podkanſciam* Noſtri *Zaluſkii* matrem, prior Patris ejus Palatini Ravenſis Conſors, fatidico Spiritu ſibi in Thoro ſuccedere debere prædixit, ſuperſtitique marito, uti ſibi amicitiâ tenerrimâ conjunctam, moriens commendavit. Hæc fuit omni prole tenellâ orbata, Thereſſia Comitiſſa de Popowo *Witowſcia* Filia Caſtellani Sandomirienſis IX. Satrapiarum Gubernatoris, Eccleſiæ Oppidi *Jedlinenſis* (ubi priſcis temporibus fuit illuſtre Gymnaſium Studio Cracovienſi, & Poſnanienſi ſuppar, antequam P. P. Societatis JESU, & Scholarum Piarum in Poloniam conducerentur:) Regio planê ſumptu Conditoris, quam à Svecis flammis conſumptam velut Phænicem ex cineribus excitavit denuo Zaluſkii Noſtri deſideratiſſimus Germanus Epiſcopus Cracovienſis; quorum Nepos ex germanâ Sorore *Lanckoronius* Capitaneus Ravenſis hoc tempore hoc feudum tenet. Hoc loco non prætereundum puto Beatum Iſaiam *Bonerum* Ordinis S. Auguſtini, Regni Poloniæ-Patronum fuiſſe Matre *Lanckoroniâ* natum, (uti teſtatur Phil. *Elſsius* in *Nomenclatore AUGUSTINIANO*) cujus familiæ fuit cognatus Illuſtriſſimi Præſulis Caſtellanus Goſtinenſis. Soror altera *Witowſcia* nupſit *Drzewickio* Palatino Lublinenſi, ex eoque ſuſcepit filiam; moderni Celſiſſimi Epiſcopi Cracovienſis Cajetani *Soltyk* Matrem Caſtellanam itidem Lublinenſem, Soror tertia Witowſciæ-Zaluſkiæ Palatinæ Ravenſis nupſit *Dzialynſcio* Palatino Pomeraniæ; quæ Familia inter præcipuas Pruſſiæ Polonicæ numeratur. *Podkanſciam* quod ſpectat Palatinam Ravenſem, Noſtri *Zaluſkii* Matrem, ea habuit Fratrem germanum Venatorem Sandomirienſem, qui ex *Gozdzia* Sorore Caſtellani Czerniechovienſis (Matre *Tarlovia* nati, moderni Gulinæ Regni Præfecti Equitis Aquilæ Albæ Patris) plures ſuſcepit Filios, nempe *Joſephum* Caſtellanum Radomienſem; *Antonium* Vexilliferum Stenzycenſem; *Stanislaum* Scholaſticum Plocenſem; Abbatiæ Sulejovienſis Coadjutorem, *Franciſcum* Epiſcopum Suffraganeum Cracovienſem, ac *Florentem* Clericorum Regularium Scholarum Piarum, Provinciæ Polonæ actualem Supremum Moderatorem. Antonius vivit in Connubio cum *Molſciâ* Filia Caſtellani Premetenſis, Cardinali *Lipſkio* Epiſcopo Cracovienſi affinitate conjuncta.

(29) Memorabile de S. *Carolo Borromæo* occurrit, Reliquias eius reperiri in Polonia, tum a Rege Poloniæ dono oblatas Pariſiis. Nam Martinus *Siſcovius* Epiſcopus Cracovienſis Divi Caroli coætaneus & amicus intimus, ab obitu ejus pientiſſimo, præcordia inteſtina omnia, dono ſibi collata, tranſtulit *Medíolano*, & in Capella a ſe erectæ Eccleſiæ cum Conventu Ordinis Min. Obſervantium in monte *Karczowka* fodinis plumbeis ferace, prope *Kielcios* quæ eſt ſolita Epiſcoporum Cracovienſium Reſidentia, collocavit. Caſulam vero ſancti, in qua ſacrificium incruentum Deo offerre conſueverat, ex Italia ſibi transmiſſam, Rex Orthodoxus Poloniæ Ioh. Caſimirus Regnô renuncians Lutetiam detulit ſecum, ibidemque publico diplomate, idiomate Polonico exarato; quod Jll. Præſul meus ſe oculis uſurpaſſe mihi aſſeveravit, illam Seminario diœceſano S. Firmini quod vulgo *Bons Enfans* vocant, & quod eſt ſub directione presbyterorum Congregationis Miſſionis donavit, ob reſpectum Polonorum Clericorum in eo tum commorantium. Præbuit illud An. 1722. legendum Jll. Præſuli Dn. *Philopald* tum Seminarii Director, olim Poloni Cardinalis *Denhoffii* Vicarius in Epiſcopatu Cæſenatenſi in Italia. Poſſidet quoque itidem Præſul meus gratioſiſſimus, & acri Reliquiam ſervat Divi *Caroli* S. Praxedis tituli Cardinalis Epiſtolam autographam, divino fere Spiritu & zelo Apoſtolico ſcriptam ad Andream Cardin. *Batoreum* noſtrum Epiſcopum Warmienſem, Regis Poloniæ *Stephani* nepotem.

(30) De nexu *Witowſkia* prioris conſortis Patris noſtri Præſulis Palatini Ravenſis, cum domo Celſiſſima *Soltykiana*, (in *Anna* Ruſſiarum Autocratrice matre Soltykoffiâ natâ, Sereniſſima) videns ſupra ſub n. 28. A.

(31) Illuſtriſſimus, Excellentiſſimus Reverendiſſimus hodiernus Epiſcopus Vladislavienſis, cum adhuc vitam Conjugalem degeret, & Referendarii Regni Sæcularis munus poſſideret, eoque nomine Noſtri *Zaluſcii* Collega eſſet, habuit ex conſorte ſua Comitiſſa *Rupniewſcia* unicam Filiam *Cunegundam*, quæ nupſerat *Zaluſcii* Nepoti ex *Ludovica* germana ſorore. Soror hæc ex ſuperſtitibus eſt ſola, ut alias

duas jam demortuas prætercam, nempe *Victoriam* Franciscam Monialem Salesianam Visitationis B. V. Mariæ in Asceterio Varsavienfi, & *Alexandram* nuptam Adalberto Comiti de *Breze* (quæ familia olim in Gallia celeberrima, ibidem jam extincta, in oris Nostris adhuc viget, floret, & perennat) *Lanckoronscio*, ex qua familia fuit Beatus Isaias *Boner* Ordinis S. Augustini, *Adalbertus* vero Castellanus Gostinensis, ex illa suscepit *Franciscum* modernum Capitaneum Ravensem, & tres filias, 1. Thomæ *Ossolinio* Nurensi Capitaneo, Ducis Filio, (Palatini Volhiniæ Fratri) qui his diebus unicam filiam Catharinam elocavit Rocho Comiti *Iablonovio* Castellano Vislicienfi. 2. Antonio *Rostworovio* Czernensi Capitaneo; ac 3. *Stadnicio* Dapifero Podoliæ elocatas (Soror invicem Nostri Præsulis sola superstes *Ludovica*, junxit concordes in mutua fœdera dextras cum Iohanne Comite de *Tenczyn Ossolinio* Castellano Gostinensi, germano Francisci Maximiliani S. R. I. Principis, in Gallia Ducis *Ossolinii* Equitis S. Spiritus, & Aquilæ Albæ, primum supremi Regni Thesaurarii, dein relictâ Patria, Aulæ Lotharingiæ Archimoderatoris apud Regem Stanislaum; cujus sororem amitinam *Iablonoviam*, Ducissæ de *Tremoville - Talmont*, Stanislai Ravensis, Cajetani Braclaviensis Palatinorum, ac Demetrii Kowelensis Capitanei germanam) habuit in Connubio. Iohannes *Ossolinius* ex Germana Nostri *Zaluscii* sorore, has suscepit Proles.

1. *Alexandrum* Capitaneum Drohicensem, qui mortua priori Conforte *Dembowscia* circa partum *Antonii* maximæ expectationis Filioli, sociavit sibi *Benedictam* celeberrimi quà late patet orbis, *Lovendahlii* Comitis Mareschalli Franciæ Filiam, Comitissæ de *Turpin*, cujus Consors de *Crisse - Turpin* Regi Christianissimo Familiaris est, sororem, quæ Domus *Lovendahlia* ex Regum Danorum provenit sanguine, *Turpinii* vero originem trahunt à *Lusignanis* olim Regni Hierosolymitani Hæredibus. Magno Heroi *Lovendahlio* aliquis (fortè Noster Præsul) tale inscripsit Epitaphium.

C' est par le talon qu' aujourd' huy
La mort nous enleve un General habile
Lovendahl a vecu comme Achille
Il devoit mourir comme Luy.

In *Mercure Danois* 1755. Junii pag. 141. ita Ejus fit mentio obitus - Valdemar Comte de *Lovendahl* Marechal de France; Chevalier des ordres de Sa Maj. Tr. Chr. de S. Alexandre Neuski, & de S. Hubert, Colonel d' un Regiment d' Infanterie Allemande de Son nom, Academicien honoraire de l' Academie Royale des Sciences, mourut a Paris le 27. de May dans la 56. annee de son age. Il etoit nè a Hambourg le 6. Avril 1700, fils de *Valdemar* Baron de L. Chevalier des Ordres de l' Elephant, & de l' Aigle Blanc, Grand Marechal du Roy de Pologne. Son Grand Pere etoit Ulric Frideric Comte de *Guldenlow* (*Lion d' or* en Danois) Chevalier de l' ordre de l' Elephant, Grand Chancelier Vice Roy de Norvege, & Marechal General des armèes du Roy (de Danemarc.) De obsidione memorabili *Bergopzomii* virtute *Lovendahlii* subacti, legitur in Anonymi, (is dicitur noster Dantiscanus *Sellius*) opusculo, tali titulo Gallice edito; Bruxellis 1756. - Description historique Geographique de Brabant - pagina 298.

In Opusculo Ab. d' *Etrees* titulo - *Memorial de France* An. 1755. edito pag. 232. ita omnes tituli *Loevendahlii* efferuntur.

Woldemar Comte de *Levendahl* Seigneur de l' ancienne Duchè-Pairie de la *Fertè - Senneterre*, Mareschal de France, Chevalier de St Esprit, de S. Alexandre de Russie, & de S Hubert; General en chef des armees de Russie, Colonel d' un Regiment de son nom, nè le 6. avril. 1700, naturalise 1745. Chevalier des ordres 1. Janvier 1746. Marechal de France 17. Sept. 1747. Son Epouse, Barbe Madelaine Elisabet fille de François Comte de Szembeck Grand Maitre des Ceremonies (corrige: *Grand Pannetier* nam ita *Stolnik* explicatur) de Pologne, & de Madelaine *Tarlo* puis Palatine de Cracovie. Sa fille 1. Benoite Sophie Antoinette, nèe a Revel en Livonie 1741. (& hæc est nupta nostri Præsulis ex germana sorore nepoti Comiti *Ossolinio* Capitaneo Drohiciensi, id quod *Etreus* Abbas in nova editione addere debet) 2. Elisabeth Marie Constance, nèe a Revel. (hæc cessit in consortium Comiti de *Turpin - Crisse.*)

Son fils Ulric Frideric Baron de L.

Son Frere ainè l' Abbè de la *Cour - Dieu* Doyen de *S. Marcel*, mort le 12. Juillet 1754.

2. Anto-

2. *Antonium*, qui his diebus duxit Comitiſſam *Butler* Filiam Capitanei Mielnicenſis ex *Granowſcia*. *Butlerorum* autem Familia Regum Angliæ fuit olim affinis. Seriem *Butleriana* in Scotia Proſapiæ exhibet Thomas Carve in ſui Itinerarii Moguntiæ. 1641. in 12. editi Tomo II. pag. 363. *Granowſcia* quæp am fuit tertia Uxor Vladislai Iagiellonis Regum Poloniæ Protoplaſtæ.

3. *Franciscam* nuptam Caſimiro *Kuczynſcio* Filio Caſtellani Podlachiæ.

4. *Dorotheam* elocatam Joſepho Duci *Lubeckio* Filio Caſtellani Minſcenſis.

5. *Thereſiam* Michaelis Kuſzel Capitanei Buczniovienſis, Dapiferi Podlachiæ Conthoralem.

6. Antoninam Joſephi *Karczewſki* Capitanei Livenſis Camerarii Regii conſortem.

(32) *Weſſelius* Theodorus, jam nunc Archi-Theſaurarius Regni eſt Illuſtriſſimi Præſulis ex Sorore Thereſſia *Zaluſkia* Filia Caſtellani Ravenſis nepos. Comes *Wielopolſkius* Carolus *Gonzaga* ſolus & unicus in Polonia Marchio, (Pinczovienſis) Ordinationis *Miſcoviana* Toparcha, Supremus Vexillifer Regni, Eques Torquatus; Pater Conſortis *Weſſelii* deſideratiſſimæ, eſt germanus *Johannis* hodierni Palatini Sandomirienſis, qui vivit cum *Jablonovia* Regis Stanislai ſorore amitina, & *Hieronymi* Supremi Stabuli Regni Præfecti, cui ſociata eſt *Potockia* Capitanei Trembowlienſis filia. Omnes hi tres Fratres Equites Torquati, fuère Filii Franciſci Palatini Cracovienſis. (Duo priores ex *Tarlovia*, tertius ex Principiſſa *Lubomirſcia*,) Nepotes vero *Johannis* Archi-Cancellarii Regni, qui alteram Conſortem habuit Reginæ *Sobieſcia* germanam Sororem.

(33) *Malachowſcii* Conſors *Humieckia* Filia Palatini Podoliæ, nata eſt ex Comitiſſa de *Zaluſkie - Krosnowſcia*, quæ eſt *Zaluſkiorum* linea altera *Junoſſia*.

(34) *Twardowſcyi* per *Szoldrſcios Garczynſkios* & *Tucholkas* ſunt *Zaluſciis* conjuncti.

(35) *Lubomirſcius* Antonius hujus Jacobi Nepos & in munere Enſiferi Regni ſucceſſor, eſt Frater Uterinus Barbaræ *Szembekiæ* Mareſchallæ in Gallia *Lovendahliæ*, Matris *Oſſoliniæ* Capitaneæ Drohicenſis Neptis Noſtri Præſulis. Cæterum *Iacobus* olim Regni Enſifer Eques Torquatus qui Principem Regiam Mariam Joſepham Delphino ſponſo in Galliam deduxit, ex conſorte ſua Comitiſſa de *Vicedom* (Fitztum vulgo vocant) filia Miniſtri Regii primarii in duello extincti, reliquit tres filias. Harum prior, nupſit Comiti *des-Alleurs*; Legato ad Portam Ottomanicam Gallico, nunc ſecundo Marchioni de *Leri*; (eſtque a Magno Ordinis Melitenſis Magiſtro, torque ordinis S. Iohannis donata,) altera ceſſit Comiti de *Fleming* Theſaurarii Magni Litvaniæ germano, Legato Regis noſtri ad aulam Cæſaream, tertia conjuncta vivit cum *Kutowſcio* filio Regio, Exercitus Saxonici Polemarcha. Iacobi fratres & æque Caſtellani Cracov. filii fuere, Georgius &, Johannes. *Gerrgius* quidem Regni Vexillifer, ex priori conſorte Comitiſſa *Denhoffia*, habuit filium Regni Pincernam; & Mariannam nuptam Comiti de Zakliczyn *Jordano* Caſtellano Woinicienſi, Equiti Torquato, viro litterato, & noſtri Præſulis amico integerrimo, ex altera vero ſuperſtite Baroniſſa de *Stein* præter filios minorennes habet filiam, noſtro Præſule benedicente, nuptam Comiti *Poninſcio* Capitaneo Babimoſtenſi, qui eſt frater amitinus Zaluſkiorum fratrum, Præſulis noſtri nepotum, utpote qui ſinguli, duas Palatini Poſnan. filias *Szoldrſkias* habuere matres.

Johannes vero Capitaneus Bolemowenſis, libello repudii Ordini Melitenſi dato, habuerat olim in conjugio ſuperſtitem Urſulam *Branickiam*, hodierni Palatini Cracov. Supremi Exercitus Regni Polemarchæ germanam, quorum filia unica his diebus divortiata eſt a Principe *Radivilio* Litvaniæ Enſifero, Palatini Vilnen Ducis exercitus Litvaniæ filio.

Soror horum trium fratrum Lubomiriorum germana; nupſerat *Wielopolſcio* Palatino Cracov. Hieronymi Supremi Stabuli Regni præfecti hodierni mater.

(36) *Moſzynſcius* Filius Archi-Theſaurarii Regni, & Filiæ (ex Comitiſſa de *Coſel*) Regiæ, eſt Frater Patruelis Capitanei Inovlodenſis, cui nupſit Ludovica *Zaluſkia* filia Supremi Litvaniæ Culinæ Præfecti, Noſtri Præſulis Nepus.

De Epiſcopatu Kiovienſi incidit mihi Relatio in opuſculo Gallico titulo - *Hiſtoire Eccleſiaſtique d' Allemagne* edito, Tomo II. pag. 397. in quo plura occurrunt ſphalmata; infra corrigenda.

(37) Titulus Latinus eſt - *Ad Inſulam meritiſſimo Capiti, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini, Domini Joſephi Comitis in Zaluſkie Zaluſki Kiovienſis Antiſtitis, Regis AUGUSTI III. Magnorum Virorum promerita ex æquo remunerantis,*

in vitam præcedentem."

beneficio, recens impoſitam" - (*Germanicus vero*) - *An die Inful welche dem höchſt verdienten Haupte, des Erlauchten und Hochwürdigſten Herrn, Herrn Grafen zu Zaluſki- Joſephi Zaluſki Biſchofes von Kiiovien, durch Sr. Maieſtät Königs AUGUSTS des III. wohlthätige Hand, welche groſſer Männer Verdienſte billig belohnet, neulich aufgeſetz worden &c.* -

(38) Idem præſtiterunt olim Canonici Regulares Præmoſtratenſes *Stivagii* [*Etival*] & PP. Capucini San-Deodati, in Lotaringia: PP. Carmelitæ Diſcalceati Varſaviæ | & Cracoviæ. RP. *Mazurkiewicz* Ordinis Prædicatorum in Capella Moſchovitica Varſaviæ, cum eleganti B. V. MARIÆ Imagine. R. P, *Lenarſki* Scholarum Piarum ibidem cum libello Theſium ex Hiſtoria Eccleſiaſtica ſelectiſſimarum, & omnium ſolenniſſime R. P. Cyprianus *Zakiewicz* Ordinis Prædicarum in Eccleſia Varſaviæ [*S. Hiacinthi* Apoſtoli Ruſſiæ, & primi in Polonia dicti Ordinis Propagatoris, cujus, tum & Beati *Ceslai* Ejus Fratris affinitate gloriatur, per Comites Odrovanſios Noſter Præſul, attestante Dominico *Fridrichovicio* in ſuo opere *de S. Hiacintho Odrowanzio*] edito opuſculo titulo - *Vindiciæ accidentium* impreſſo Varſaviæ in Typographia Scholarum Piarum 1752. in 4. In quo actu, ſplendido apparatu notabili, argumentarunt Reſidens p. m. *Dn. du Perron de Caſtera*, & Theatinus Italus, nunc Superior Mutinenſis Domus *Tori*. Eodemq; apparatu Anno 1731. Zaluſcij olim condiſcipulus. R. P. *Knabe* Scholarum Piarum, Ei dicavit Dramma ſcenicum in Palatio *Kraſinſciano*, præſente comite *Wilczek* Legato Cæſareo cum tota ſua familia & pluribus Polonis Magnatibus exhibitum. De ſolemni Dedicatione Theſium à PP. Hiacintho *Neſterſki* & Gedeone *Leſiewicz* Ord. S. Baſilij Studij Th. Leopolienſis Profeſſoribus, Noſtro Præſuli inſcriptarum ex Theologia, iam vero ex Philoſophia Excell. Ill. Dn. Galliae Legato Extr. *Paulmyo* dicetur infra.

(39) Antequam *Zaluſkius* Noſter tandem aliquando Epiſcopus efficeretur, duodecim vicibus dignitas Præſulea illi, vel fere è manibus elapſa eſt, vel eam ultro declinavit, nempe.

Anno 1720. Cum in Coadjutorem Epiſcopatus Culmenſis à *Bokumio* deſtinaretur.

Anno 1725. Cum Suffraganeatum Plocenſem à germano Fratre oblatum acceptare nollet.

Anno 1728. Cum Coadjutoriam Poſnanienſem detrectaſſet, ne invidiam incurreret, & ſupplantator videretur.

Anno 1734. Cum Suffraganeatum Vladislavienſem per obitum *Dzialinii* vacantem, & ab Epiſcopo [poſtea Regni Primate] *Szembekio* ſibi tum Romæ commoranti oblatum detrectaſſet.

Anno 1735. Cum à Nominatione ad Epiſcopatum Culmenſem & Pomeſaniæ per Regem *Stanislaum* facta, mutato rerum per Tractatum Viennenſem Anno 1736. ſtatu decidiſſet.

Anno 1738. Cum ad Epiſcopatum *Tullenſem* titulo S. R. I. Principis gaudentem ab eodem Rege deſtinaretur, ſed à Cardinale *Fleurio* eluderetur.

Anno 1741. Cum *Zaluſkii* Præpoſitura, *quaſi-Epiſcopalis nullius Diœceſis immediate ſanctæ ſedi ſubiecta*, in Novum Epiſcopatum erigenda eſſet, id quod hucuſq; non eſt effectum.

Anno 1742. Cum Epiſcopus *Montiſpeſſulanus* ad preces Regis *Stanislai* titularem Archiepiſcopatum Cæſarienſem pro *Zaluſkio* Romæ obtinuiſſet.

Anno 1744. Cum Samuel *Ożga*, eum inter Candidatos ad Coadjutoriam Epiſcopatus Kjovienſis poſuiſſet, unà cum Adamo *Komoroſcio*, poſtea Regni Primate, & Cajetano *Soltyk* hodierno Epiſcopo Cracovienſe, & *Komorowſcius* prælatus eſſet.

Anno 1752. Cum Suffraganeatus - Cracovienſis ei deſtinaretur, imo per annum integrum, ad eum acceptandum à germano tum Principe-Epiſcopo ſtimularetur.

Anno 1754. Antonius *Dembowſki* Epiſcopus Vladislavienſis eum ſibi in Coadjutorem aſſumere expetebat, at eo tempore Rex Sereniſſimus nullam coadjutoriam admittere voluit.

Anno 1758. Cum paucis ante Nominationem Kijovienſem diebus, ad falſum Nuntium mortis *Wężykii* Epiſcopi *Chelmenſis*, is Epiſcopatus ei deſtinaretur, innuente Excellentiſſimo Comite *Mniſzech* Mareſchallo Aulæ Regni. Hæc fuit occaſio cur hic Præſul Noſter pro devotione ſua privata, *Litanias* in ſingulos anni menſes & dies de Sanctis Confeſſoribus non Pontificibus, nempe de SS. Presbyteris ſæcularibus digeſſerit metro Polonico quæ habentur Tomo. I. ejus Collectionis Carminum Sacrorum, & moralium, nempe quod ſe dignitate Epiſcopali indignum & ad eam non vocatum

cenſe-

censeret, semper præ oculis habendo illud Apostoli Gentium effatum - *Nemo sibi sumit honorem sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron* - At cum Anno 1758. 18 Decembris, eodem momento, & fata germani sui Principis Episcopi Cracoviensis, & nominationem suam ad Episcopatum Kijoviensem, imo & designationem Gabrielis Comitis Junosszæ *Podosckii* Notarij Regni, ad dignitatem Referendariatus Regni, tanquam ex insidijs rescivisset, eam vere divinam esse vocationem ratus, tandem in timore & tremore suscepit, onus Angelicis humeris formidandum. Memorabile hic occurrit in tanto Episcoporum numero innumero, ab ipsis fidei orthodoxæ Christianæ initiis usque ad hæc tempora, nullum fuisse olim in Polonia Episcopum, imo nec Suffraganeum, nomine *Josephi* insignitum [nam Ioseph Velaminus *Rucki* Metropolita Kioviensis, ritui Græco-Unito fuit addictus] & demum X. Annorum spatio, contigisse totum *Josephorum* Triumviratum, nempe Iosephi *Lasz* Coadjutoris Samuelis *Ożga* in Episcopatu Kiioviensi ante Princ. Soltykium Crac: Ant stitem, Iosephi *Szembek* Episcopi Plocensis, & tandem *trini perfecti* nostri *Zaluskii*.

[40] Per Johannam *Daniloviciam* [ex Comitissa *Denhoffia* Capitanei Parczeviensis pronepotis Matris Iohannis. III. Regis Poloniæ *Danilovicii*; filiam] nuptam Fratri Patrueli Præsulis Nostri, Chrysostomo Henrico *Zaluski* Capitaneo Lublinensi Ordinis Hetruriæ Equestris S. Stephani Torquato. Item per *Theresiam Zaluskiam* Præsulis Nostri Sororem, nuptam Alberto Comiti *Wessel*, Castellano Varsaviensi, germano Mariæ Iosephæ, Consortis Constantini *Sobieskii* Regii Principis, Filii natu minimi Regis Iohannis III., quæ Theressia ex hoc consorte nacta est *Theodorum* hodiernum Regni Archi-Thesaurarium.

(41) Erepta è vivis dolendo eheu fato *Clementina*, *Zaluskius* tum Poloniæ Ablegatus ad Clementem XII. ac Moderator Ecclesiæ nationalis S. Stanislai de urbe (quam germanus Ejus Frater Episcopus Cracoviensis *ex lateritia reddidit marmoream*) in eadem erigi suo sumptu curavit Divæ, voce populi sacrâ apotheosi donandæ, apparatum funebrem pluribus facibus, & inscriptionibus sepulchralibus exornatum, eidemq; tali modo post justa Vaticana persoluta, Polonæ nationis nomine, in confluxu Principum Magnæ Britanniæ *Stuardorum*, urbis Magnatum, ac Purpuratorum Patrum parentavit, cujus pompæ mentionem fecit author Anonymus libri titulo - *Nouveau Telemaque ou voyages & avantures du Comte* · · *& de son fils* - insigniti, & 3. vol Haga Comitum 1741. editi in 8. cujus libri extat item versio Germanica. Accessit & ea in Serenissimo Angliæ Prætendente ergâ *Zaluskium* consideratio, quod Principis Regij *Sobieskii* Jacobi sui soceri, Præfectus aulæ supremus, fuerit Casimirus Comes *Chlebowski* Capitaneus Livensis, habens in consortio Nostri Præsulis amitam Theressiam *Zaluskiam*, Palatini Ravensis Alexandri I. Filiam ex *Koniecpolscia*, cujus avus fuit Castellanus Cracoviensis primarius regni Senator, ultra mille feudorum Dominus Hæres. Chlebowsciorum Familia originaliter vocatur *Poray*, ex qua fuit Nicolaus Castellanus, Pater *S. Bogumili* Archiepiscopi Guesnensis, Patroni Regni Poloniæ [V. *Sokołowski* in vita Sancti p. 5.]

[42] Titulus huius operis eximii est - *Conspectus novæ collectionis Legum Ecclesiasticarum Poloniæ, alias Synodici Poloniæ Ortodoxæ, tum & aliæ Collectionis scriptorum Ecclesiasticorum Poloniæ ineditorum, tum & editorum quidem, sed rarissime obviorum*, Quarum impressionem per modum prænumerationis, seu ut vulgo aiunt, *subscriptionis* faciendam proponit *Zaluskius* Orbi litterato, *Varsaviæ* ex Typographia Regia & Reipublicæ Collegii Scholarum Piarum 1744. in 4. plag. 10. Summa sed merita ob hanc *Conspectus* publicationem, Illustrissimo Authori præconia tribuuntur *in Lipsiensium Germanicis novis litterariis* Anni 1744. pag. 911. 912. & 913. Eximium quoq; de eius instituto judicium profertur in Diario Litterario, cuius Titulus est - *Nouvelle Bibliotheque Germanique* Tomo I. parte 2. Pag. 434. Vide quoq; Relationum Litterariarum Hamburgensium Anno MDCCXLVII. editarum semestre I. p. 5. sequen. Imo ipse Summus Pontifex Benedictus XIV. æquus conaminum litterariorum arbiter, cum hoc *Zaluskianum* Programma, exhibente sibi illud amico illo nostri Præsulis Cardinale *Quenrinio* perlegisset, vivæ vocis oraculo, institutum Opus maxime collaudavit.

[43] Prodierunt sub hoc titulo - *Opera omnia Pauli Comitis in aureo Potok Pilavitæ - POTOCKI, Castellani Camenecensis, Senatoris Regni Poloniæ - Quæ Zaluskius anecdota ex sua Bibliotheca* jam nunc publica & cuivis patente edidit, quædam ex Polonico idiomate Latina metaphrasi interpretatus est, *Notulis* & indicibus illustravit sextuplici Genealogia *Potockiana* cum Epitaphiis sepulchralibus *Potockiorum*, ac

deni-

denique *testimoniis* Historicorum de *Pilavitis* & *Potockiis locupletavit* - Varsaviæ ex Typographia Collegii Regii Soc. JESU Anno Domini 1741. in Fol. Alphab. 4. plag. 14. - Hæc opera ingenti applausu fuerunt excepta in Diario quod inscriptum est - *Berlinische Bibliotheque* parte. V. p. 611. - 624 itemque in *Nouvelle Bibliotheque Germanique* Tomo IV. P. II. pag. 432 435. Lege quoq; *Lipsiensium Germanica Nova Litteraria* Anni 1747. pag. 115 seq. & pag. 458. seq. imo etiam - *Nova Acta eruditorum* ab ipso initio partis secundæ, Mensis Junii Anno MDCCXLVIII.

[44] Harum litterarum accurata recensio exhibetur in *Lipsiensium* Germanicis novis literariis Anni 1749 p. 836 seq.

[45] Istius collectionis quinque jam prostant Tomi. Primus prodiit Varsaviæ Anno 1752, sub hoc titulo - *Zebranie Rytmow przez Wierszopisow żyiących, lub naszego wieku zeszłych pisanych Tom. I. zebrany y do druku podany.* Varsaviæ Typis Collegii Scholarum Piarum in 4. Alphab. 3.

Poemata, quæ in hoc primo volumine continentur, sunt omnia à Generosa Elisabetha *Drużbacka*, de Domo *Kowalska* Thesaurarii Zydaczoviensis relicta vidua, aut conscripta aut ab ea translata [Tomus II.] comprehendit præter carmina sacra, & ascetica fere plerumq; Tragædias, ab Illustrissimo Collectore aut conscriptas aut polonice redditas [Tomus III.] Anno 1755. impressus exponit quoque varia Poemata ab eodem elaborata vel translata [Tomus IV.] Anno 1755. publicatus continet Poemata & translationes à Generoso & doctissimo Iosepho Epiphanio *Minasowicz* Secretario Regio, viro omnibus humanitatis atq; elegantiæ studiis exculto, elaborata, Varsaviæ, in 4. III. alphab. 14. plag. (Tomus V.) ab eodem luci publicæ donatus, Præsuli nostro dicatus, prodiit *anno sequenti* Varsaviæ 1756. ex Typographia S. R. M. PP. Scholarum Piarum. III. alph. plag. 10. [vide Clar. *Mitzleri* nova literaria Polonica, Trimestre Quartum Anni 1755. p. 297. seq.]

[46] Titulus est: M. Antonii *Mureti Institutio puerilis, comprehensa versibus ad captum puerulorum accomodatis, Rythmis polonicis exornata, ad Convictores Collegiorum Nobilium Varsaviæ directa, ac Serenissimis Regni Poloniæ Principibus Alberto & Clementi dicata, pro strena Anni* 1754. *ab AugustI Zelante cultoRe peRenni in AeVum* in 4. Literæ Maiusculæ indigitant Iosephum *Załuski* Referendarium Regni, Abbatem Wąchocensem.

[47] *Prima* Satyra est na *Teologow, ktorzy ludzi dyspensuią od miłosci Bożey, tłumaczona z Boileau.*

Secunda sub hoc titulo apparuit *Satyra na całe plemię ludzkie* paraphrastice *z Francuskiego Boileaviusza.*

Tertia Sic inscripta - *Satyra na złe żony.*

Quarta talem præsefert titulum - *Satyra o mowie oboiętney dworskiey, alias ekwiwokacyi z Francuskiego Mikołaia Boileau* paraphrasticè *tłumaczona przez WerI dicZegonnego sKRybenta.* De his quatuor satyris vide *Warschauer Bibliothec.* p. III. pag. 249. 262.

[48] Hæc nova editio prodiit Varsaviæ 1752 in 4to.

[49] Genealogia ista in Lipsiensium Germanicis novis litterariis Anni 1753. p. 442. & 796. satis ample est descripta.

[50] Hoc opus jam 1752 erat perfectum at ob certas rationes non fuit publicatum Anno vero 1755. sub sequenti apparuit titulo - *Anecdota quædam singularia Celsissimæ de Prussis Ducum ac S. R. I. Principum* Jablonoviorum *Domus, ex Archivo Celsissimæ familiæ privato, ac ex sua publica Bibliotheca, collecta publicive iuris facta, per Josephum Andream Comitem* Załuskium *Supremum Referendarium, Abbatem Wąchocensem in Polonia,* Fontanetti *in Gallia* Villariæ - Betnaci *in Lotharingiæ Præpositum Regiæ Basilicæ* Varsaviensis, *Canonicum Capitularem Cracoviensem, Supremi Parlamenti Nanceiani Consiliarum Prælatum Honoris &c. - Varsaviæ in Typographia S. R. M. & Reip. Collegii Scholarum Piarum.*

[51] Anno 1732. in Julio Cracoviæ in Ecclesia Cathedrali - Pronepos Principis *Szaniavii*, Philippus Nerius, filius *Fabiani Szaniavii* Venatoris Lithvaniæ Supremi & *Potockiæ* Filiæ Palatini Czerniechoviensis, Primatis Regni Fratris germani, desponsavit sibi Ludovicam *Załuskiam* Filiam Capitanei Ravensis, nostri Præsulis Neptem. Fratres *Fabiani* fuere: *Iosaphat* Subdapifer Regni, cui nupsit *Ossolinia* Anna Ducis *Ossolinii* Filia, Palatini Volhiniæ, & Capitanei Nurensis [cuius uxor est Lanckoronia Nostri Præsulis ex germana sorore Neptis] soror; tum N. Capitaneus Augustoviensis, qui coniuge gaudet *Wiynscia* Canonici Cathedralis Kiioviensis huius nominis germana, Cardinalis *Lipski* ex sorore nepte. (52)

(52) Oratio ista habita est 19. Decembris 1743. *Zolkievia* in Russia rubra. Pompam hanc Solennem curavit Michael Dux *Radivilius*, tum Campiductor Exercitus Lithvaniæ, Castellanus Vilnensis, nunc vero Supremus Exercituum Lithvaniæ Dux, & Palatinus Vilnensis, Sobiesciæ Regiæ Sororis Pronepos, & Bonorum Sobiescianorum Hæres. De affinitate Domus *Zaluskianæ* cum *Sobieskiana* per Johannam *Zaluskiam* Capitaneam Lublinensem, Matre *Danielovicia* Matris Regis Johannis III. pronepte prognatam Superstitem, & per Teresiam *Zaluskiam*, Nuptam Comiti Adalberto *Wessel* Castellano Varsaviensi; Principis Regiæ *Sobiesciæ* Constantini ejusdem Regis ultimogeniti Consortis germano, dictum est jam supra. Oratio dicta, est omnium, quæ à magno illo *Zaluskio* sunt profectæ, sinè dubio politissima; quæque ei magnificum *Polonæ eloquentiæ Principis* cognomen peperit.

(53) Sermonem hunc Illustrissimus Præsul habuit 6. Octobris Anno 1745. Visnioviciæ in Volhinia, in funere dicti Principis. Hæ Exequiæ sumptuosissimæ per quatuor dies continuos durarunt. Pompa funebris Polonice est descripta, & Leopoli 1746. Typis impressa. Hic Dux quoque stirpis suæ fuit ultimus, & ita Præsul Noster duorum Annorum spatio, duobus parentavit Proceribus, è Domibus Regiis oriundis, iisque ultimis Regiarum Familiarum Scintillis. Hujus elegantissimæ Orationis debita cum laude facta est mentio in Lipsiensium Germanicis novis Litterariis Anni 1746. pag. 159. Hic Princeps *Michael*, habuit Fratrem natu majorem *Janussium* Castellanum Cracoviensem, primarium Regni Patrem Conscriptum, qui ex Teophila *Lesinia* Regis Stanislai Consangvinea, quæ dein spretâ Sæculi pompa, Ordini S. Dominici nomen dedit Leopoli, reliquit unicam filiam *Franciscam* priorem Principis *Radziwilii* Palatini Vilnensis, Supremi Exercitus Lithvaniæ Ducis consortem. Michael vero tres habuit thori Socias. 1mam *Dolsciam.* 2dam *Czartoryskiam* Josephi Principis, Supremi Lithvaniæ Vexilliferi filiam, & *Theclam* prædicti Principis *Radzivilii* germanam, Comitis *Flemingii* Supremi Lithvaniæ Stabuli Præfecti, Primi quæ AUGUSTI II. Ministri Saxoniæ, viduam, quæ postea Michaelis *Sapiehæ* Palatini Podlachiæ, deinde Procancellarii Lithvaniæ fuit conthoralis; quæque hanc pompam funebrem marito suo sumptu planè Regio exhibuit. *Zalusciana* Domus aliquam cum Ducali *Korybuto-Wisniowieciana* Familià, in Michaele, Regia, & jam nunc extincta, observo connexionem, ex capite Theodori *Wessel* Archi-Thesaurarii Regni Equitis Aquilæ Albæ Nostri Præsulis ex Sorore Nepotis, qui habuit in conjugio Filiam Caroli Gonzagæ *Wielopolscii-Myszkovii*, unici in Polonia (id quod planè singulare) *Marchionis* Pinczoviensis, Supremi Vexilliferi Regni Equitis Aquilæ Albæ, & *Mniszechiæ* germanæ Comitis de *Mniszech* Mareschalli Curiæ Regni, Equitis A. A.; cujus alter Frater germanus, Johannes desideratissimus Lithvaniæ Supremus Succamerarius, Consortem habuit superstitem Comitissam *Zamoysciam*, prædicti Principis *Wisniowieckii* neptem germanam, ex filia *Zamoyscio* Palatino Smolenscensi nupta, & hoc nomine, amplissimæ Successionis *Wisniovicciana*, una cum Comite *Oginscio* Equite Aquilæ Albæ, Supremo exercitus Litvaniæ Commissario Generali, ac ejus quinque Sororibus, (*Platero* Palatino Mscislaviensi, *Brzostowscio* Castellano Polocensi, Ejus fratri Supremo Litvaniæ Notario, *Przezdzieckio* Referendario ejusdem Ducatus, ac *Wielohurscio* Supremo Regni Castrametatori Equitibus Aquilæ Albæ elocatis,) cohæredi.

(54) Hanc orationem habuit Anno 1746. 30. Martii Cracoviæ. His, adhuc est adjungendus sermo funebris, quo anno 1745. 17. Xbris in Oppido *Lasko* in Palatinatu Siradiensi, Fratri suo Patrueli, Iohanni Prospero *Zaluski* Supremo Culinæ Lithvaniæ Ducatus Præfecto, Equiti Aquilæ Albæ, Chęcinensi, & *Zawichostensi* Capitaneo parentavit. Erat tum Præpositus Infulatus Ecclesiæ Lascensis Martinus *Zaluski* Episcopus Drasnensis, Suffraganeus Plocensis; & singulare quid erat, in Ecclesia Unius Fratris, celebrante alio Fratre (Episcopo Cracoviense) tertium Fratrem parentâsse, in funere Fratris Patruelis. De oratione in funere Cardinalis, ampla invenitur notitia in Lipsiensium Germanicis Novis Litterariis Anni 1746. pag. 395.

(55) Imo sæpe Mæcenas, quo ad dedicatas ex Philosophia & Theologia Theses in Regno, & in exteris Oris, & quo ad orationes Panegyricas Sanctorum sibi inscriptas; Semel quoque in Solenni Pompæ Polemicæ actu illustrissimi *Massalscii* (nunc jam Supremi Lithvaniæ Referendarii, Filii Illustrissimi Excellentissimi Castellani Vilnensis, ac Supremi Exercitus Lithvanici Campiductoris) tum Seminarii S. Crucis Congregationis Missionis Contubernalis, una cum Georgio de *Hylzen* Episcopo Smolenscensi, ex Universa Theologia oppugnare haud dedignatus est.

(56) Tomus primus operis hujus, Typis Collegii Soc. JESU Lublinensis nitidissimis Anno 1745. impressus, constat 15. alphab. in fol. & complectitur præstantissimos Styli vernaculi Artifices. Habentur in eo duæ Orationes in Senatu coram Rege habitæ a nostro Præsule, altera pro inchoatione Iudiciorum Curlandiæ, altera gratulatoria elocationis filiarum Regiarum Electori Bavariæ, ac Seren. Delphino. Tomus posterior iisdem Typis Anno 1747. exscriptus constat 16 cum dimidio alphab. in folio. Is præter cultiores Latii Sermonis Auctores, permulta, eaque selectiora Poeseos Latinæ exempla perhibet.

(57) En Titulum Lexici.

Nouveau Dictionaire François Allemand & Polonois, enrichi de plusieurs exemples de l' Histoire Polonoise, des termes ordinaires des arts, & des remarques de Grammaire les plus necessaires, avec une liste Alphabetique des Poetes & des meilleurs livres Polonois. 2. columnis *Lipsiæ* ap. Io. Frider. Gleditsch 1747. Tomus I. ad paginam 3040. Tomus II. a pag. 3041. ad 6128. in 8. magno. *In suo Programmate huius Trilinguis Lexici, fatetur Trotzius a nostro Præsule consilium & primam idæam huius Repertorii Grammatici, omnium quotquot in hanc diem prodierunt amplissimi & accuratissimi cepisse; cui elucubrando plures ei libros necessarios ex sua Bibliotheca; sine quibus haurire aquam cribro videretur, Zaluskius lubens merito, concedere haud gravatus est. Desiderant adhuc viri litterati nostrates simile Lexicon, a vocibus Polonis incipiens, quod operæ precium facturus est quidam Pater Scholarum Piarum, Collegii Nobilum Varsaviensis, nomine* Kaliszewski.

(58) Hic liber prodiit, sub titulo - *Histoire generale de Pologne* quinque Voluminibus Amstelodami 1748. in 12. Tomo III, sub Ludovico Rege legitur elogium *Zaluscii* nostri, qui olim (1740.) Dn. *Solignac* Equitem *Christi* Domini, Lusitanici Ordinis, in Capella Regio-Ducali Lunævillana creavit, recentius vero [1756.] ab eo in Cætum Academiæ Nancejanæ Litterarium, jussu Stanislai Regis admissus est, uti illius Secretario perpetuo.

[59] Magnum hoc opus Anno 1752. sub inscriptione sequenti luci publicæ fuit expositum - *Vita Venerabilis servi DEI* Mathiæ Lubienski *Cononici Regularis SS. Sepulchri, postea Episcopi Chelmensis, tandem Posnaniensis, mox Vladislaviensis & Pomeraniæ, ad extremum Archiepiscopi Gnesnensis, Legati nati, Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ, Primatis Primiq; Principis, virtute & titulis Illustrissimi, Sanctitate & honoribus Celsissimi, triginta Capitibus comprehensa, In qua Prosapia & virtute Illustres nobilissimæ Lubiensciana Domus, res in Polonia gestæ, Historia Ecclesiastica Polona, incrementa Ecclesiarum Cathedralium Chelmensis, Posnaniensis, Vladislaviensis & Metropolitanæ Gnesnensis, tum & aliarum Collegiatarum, & Parochialium fundationes & dotationes, status ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sancti Sepulchri in Polonia, aliaq; res ad maiorem elucidationem huius vitæ spectantes, scitu necessariæ incidenter recensentur. Additus est index nobilitatis Polonæ, atq; Virorum illustrium Regni Poloniæ, qui in hoc libro continentur. Calissii Typis S. R. M. Collegii Soc. JESU Anno Domini 1752. 3. alphab. In pluribus locis citat nostrum* Zaluskium *Author.*

(60) Constat totum Opus Sex Voluminibus in Folio. Primus Tomus dicatus Serenissimo Regi, & VI. de Ducatu Curlandiæ, Serenissimo Duci Curlandiæ. Vilnæ in Fol. Cæteri inediti propediem à Patribus Scholarum Piarum sunt edendi, nam Author diligentissimus Operi suo dolendo fato immortuus est. De Nostro *Zaluscio* in suo Programmate Operi præmisso, honorificam fecit mentionem.

(61) Prodiit hoc anno 1761. Varsaviæ in Typographia ipsius Editoris propria, nuper publico Varsaviensium bono erecta. In præfatione Clarissimus Author honorificentissimè commeminit Nostri *Zaluskii* his verbis - *Sed verum ut fatear, hoc magnum in Poloniæ Historicorum Amatores collatum beneficium minime ad me, sed ad magnum illud Poloniæ decus, Virum illum, quod litterarum cognitionem attinet, plane incomparabilem, Illustrissimum Comitem Josephum Andream Zaluscium Episcopum Kiiovienseṁ pertinet, qui singulari ad instaurandas in Patria litteras studio, libentissime Scriptores omnes ad usum Nobis concessit* -

(62) Eidem Comitissæ Antoninæ *Zamoysciæ* e Comitibus *Zahorovsciis*, primum *Volovicii* Archi-Mareschalli Lithvaniæ, (cujus neptem Præsulis nostri germanus, Capitaneus Suleiov. sibi desponsaverat, at ea habitu S. Dominici, Leopoli suscepto nuptias irritas fecit,) demum Thomæ Ordinati Domini *Zamoyskii* (celeberrimi toto qua late patet Orbe Herois Poloni, Illustrissimi Sarii *Zamoyscii*, Libri *de Sena-*

tu

tu Romano Scriptoris, abnepotis) viduæ, opimarum facultatum Matronæ, & fundationem aliquam novam, Poloniæ adhuc nondum cognitam molienti, svasor fuit Noster Præsul, ut Varsaviam introduceret Canonissas Sæculares ad normam *Remiremontani* in Lotharingia cætus. (Hujus, nisi Lotharingiam Anno 1742. deseruisset, supremum ab obitu Primatis Lotharingiæ Marci de *Beauveau*, Principis de *Craon*, agere debebat Præpositum *Zaluskius*, & paulo ante cum Adamo Comite *Tarlo* Palatino Lublinensi, præsens adfuerat *Commercii* apud Ducissam Lotharingiæ viduam, tum, cum Soror moderni Cæsaris in Abbatissam illius præclarissimi Gynecæo - Asceterii, singulari plane ritu renunciaretur.) Audivi ab Jll. Præsule meo, Authorem innominatum pestilentissimi & scommatici in Patres Societatis JESU libelli diffamatorii titulo: *Monita secreta Soc. JESU*: fuisse quendam ex huius Matronæ Illustrissimae agnatis, Hieronymum *Zahorouscium* qui è Societate dimissus sarcasmata illa omnibus idiomatibus, Latino Gallico Anglico Belgico Germanico divulgavit, at demum *tactus dolore Cordis intrinsecus*, rediit ad ovile desertum, & palinodiam cantavit. Nullius itaque roboris sunt ea argumenta quæ passim ex eo libello contra PP. Jesuitas desumuntur, uti ex animo iracundia venenato profecta. Sed iam ad fundationem Canonissarum redeamus. Extat hæc sub titulo Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis MARIÆ, cuius effigiem ex auro ductili obrizo in vitta purpurea ab humero dextro dependentem Canonissæ XII. gerunt. Menor beneficii in cedendo Palatio suburbano Varsaviensi amplissimo, *Maria - Villa* à Regina *Sobiescia Maria* dicto, & olim pro suis contribulibus, mercatoribus Gallis, una cum elegantissimæ formæ Ecclesia erecto, per *Zaluscium* Cracoviensem Præsulem (qui cum Fratre, Nostro Kijoviensi Episcopo, & Reverendissimo Domino Hyacintho *Sliwicki* Congregationis Missionis Visitatore Generali, Regulas huius Communitatis probatissimi generis Nobilium, & Nobilium Virginum typo impressas præscripsit) *Zamoyskia* Fundatrix, perpetua lege inter illas Regulas disposuit & præcavit, ut in perpetuum & in ævum, una ex Familia *Zalusciana* Domicella, in gremium huius Parthenonis reciperetur. De hoc Instituto edidit relationem historicam Noster *Zaluskius* Polonice Varsaviæ 1748 in Folio, ubi omnia tota Europâ similia Capitula enarrat, eodemq; tempore (applaudente R. P. *Florentio Podkanscio* hodierno Scholarum Piarum Provinciæ Polonæ Moderatore, tum Nostri Præsulis Theologo, in Carmine evulgato) Fabricæ Ecclesiæ adiacenti primarium imposuit Lapidem, primam oiliusque Abbatissam, Sophiam Comitissam *Galecka*, filiam Palatini Posnaniensis, Regis Stanislai amicem, Testamenti designatus Executor mandavit terræ, Electioni alterius nempe Sophiæ *Komorowska* Adami Primatis Regni-amnis præfuit, & profuit, ac circa consecrationem Ecclesiæ dictæ per Celsissimum Theodorum *Czartoryski* Episcopum Posnaniensem ipso Patrocinii Sancti *Josephi* Festo factam, ex sacra Exedra sermonem elegantem & comptissimum dixit. En descriptionem huius memorabilis Cæremoniæ hucusque in Polonia nunquam visæ, quam ex Novellis Hebdomadalibus, Polonicis Varsaviæ impressis, Gallice translatam in Archivio Jll. Præsulis reperi.

Sub Numero CCCCXXXIX. die V. Maii 1745.

Le Dimanche passé, qui etoit le iour anniversaire de la Dedicace de l' Eglise de *Marieville*, Mad. la Comtesse de *Galeçka* fille du feu Palatin de Posnanie, future Abbesse du Chapitre des Chanoinesses, & Mesdames, *Nowosielska Dziedu∫zycka*, *Szembek*, & *Krasinska*, Chanoinesses, qui avoient precedemment fait la deduction de leur noblesse & de leurs quartiers Genealogiques de 8. degres, par devant le Comte de *Mnis̃zech* Marechal de la Cour du Royaume, ont prononcé leur promesse d' obeissance aux status de ce Chapitre nouvellement etabli, pendant la Messe celebree solemnellement, par Son Exc. Mgr le Comte de *Zaluski*, Grand Referendaire de la Couronne, aprés laquelle il y a eu sermon du Pere *Parzelunski* de la Comp. de JESUS. Ces promesses ne contiennent point des voeux solemnels, & nempechent point les Chanoinesses de convoler aux noces, si un parti convenable se presente. Icy fuit la liste des Seigneurs & Dames qui ont assisté a cette ceremonie.

Sub Numero CCCCXL. die 12. Mai.

Dimanche passé qui etoit le 9 de Mai & la fete de notre Dame de graces, aussi bien que celle de la protection de S. *Joseph*, on a fait l' Inauguration solennelle dans l' Eglise *Marieville* de Me la premiere Abbesse de ce Chapitre des Chanoinesses seculieres S. A. Mgr. le Prince de *Czartoryski* Eveque de Posnanie Diocesain a officié Pontificalement, S. Excel Mgr *Joseph* Comte de *Zaluski* G. R. d. I. C. & Prevot du Chapitre de Varsovie, a prononcé en cette occasion, un tres beau & sa-

vant diſcours, avec ſon eloquence accoutumeè, dont le double ſuiet, tirè du double
Texte, des deux Evangiles coincidans, luy a fourni cette propoſition, - Que S. *Joſeph*
Epoux & Tuteur de MARIE, doit etre regardè, comme Pere & Tuteur de *Marieville*,
entant que Patron aſſurè de l' etat des Dames religieuſement ſeculieres, & ſeculiere-
ment Religieuſes, ce qu il a prouvè a la ſatisfaction de tous ſes auditeurs & des Dames
Chanoineſſes. Apres la ceremonie, on a chantè le Te Deum au bruit des cloches &
des canons de toute l' Artillerie. Les Dames Chanoineſſes ont paru, en cette Ce-
remonie, revetues pour la premiere fois de leurs habits de coeur, qui eſt une Robe
toute blanche ave des voiles blancs & des manteaux trainans de tafetas couleur bleu-
celeſte avec des noeuds & des rubans de meme couleur, & des medailles ſur la
poitrine qui repreſentent l' Immaculè Conception du la B. V. MARIE, & a l'
egard des XII. dames du premier rang, tandis que les huit du ſecond, & qui ont
le detail de la Maiſon, ne l' ont que d' argent. Mad. la Comteſſe Ordinate de *Zamoy-*
ſka: Fondatrice de ce Chapitre, a regalè ſplendidement ces deux iours, tous les Sei-
gneurs & Dames, qui y avoient aſſiſte.

Ab exordio huius fundationis, duæ jam *Zaluſciæ* ad gremium Capituli Virgi-
nalis ſunt receptæ, Noſtri Præſulis Neptes *Ludovica* & *Marianna* Filiæ Illuſtriſ-
ſimi Joannis Proſperi *Zaluſki*, ſupremi culinæ M. D. Lithvaniæ Præfecti, Capi-
tanei Chęcinenſis, & Zawichoſtenſis, aquilæ Albæ Equitis, & Victoriæ *Szołdrſkiæ* Filiæ
Ludovici Palatini Poſnanienſis, Eiuſdem Ordinis Torquati [ex Comitiſſa *Unrug*] So-
roris vero Vladiſlai Palatini Junivladislavienſis, Generalis Maioris Poloniæ Capitanei,
itidem Equitis Torquati. Id ſingulare de Iohannis Proſperi *Zaluſkii* conſorte *Szol-*
drſkia, eam trino partu ſucceſſivo tres fætus gemellos prodidiſſe, e quibus unus ſu-
pervixit, alter in limine vitæ ablatus. Hujus Palatini *Szołdrſki* Avus fuit Andreas E-
piſcopus Poſnanienſis, quem *Okolſki* Tomo II. p. 172. vocat - *Eloquentia Ciceronem*,
prudentia Catonem, *Conſilio Fabium* - *Zaluſkius* is *Proſper* Noſtri Præſulis Frater
Patruelis, deſtinatus à Rege ad Palatinatum Ravenſem, quem ni mors acerba imma-
turo ſuſtuliſſet fato, certo habuiſſet: fuit Filius Hieronymi Caſtellani Ravenſis Capi-
tanei Breſtenſis & Ludovicæ *Wierzbowſciæ* Gynæcei Reginæ Eleonoræ Domicellæ,
poſt *Lanckoronium* Succamerarium Cracovienſem Viduæ, Filiæ Palatini Siradienſis,
Fundatoris Collegii Soc: JESU Petricoviæ, Neptis Stephani Epiſcopi Poſnanienſis,
deſignati Primatis Regni, Novæ Hieroſolimæ in hæreditario Feudo *Gora* propè Var-
ſaviam ac inibi VII. Monaſteriorum, diverſorum Religioſorum Ordinum in locis
variis Calvariæ, Fundatoris.

Prior ex his *Zaluſciis* Canoniſſis *Ludovica* nupſit Leoni Comiti *Moſzynſcio* Ca-
pitaneo Inovlodenſi, Filio Caſtellani Czechovienſis, Nepoti Archi-Theſaurarii Re-
gni, cujus vidua ſuperſtes, nata ex Comitiſſa de *Coſel*, ab AUGUSTO II. Rege Po-
loniæ legitimata eſt. Altera *Zaluſcia* Canoniſſa nupſit Ignatio Comiti *Czosnow-*
ſkio Capitaneo Vinnicenſi & Salnicenſi, Caſtellani Viſſogrodenſis Filio, quæ Do-
mus Nobiliſſima nomen & Inſigne Procerum *Columnenſum* vulgo *Kolumna* gerit.
De Ignatio Kolumna *Czosnowſki* vide meam Poloniam Litteratam p. XVII. Earum
Tertia Soror *Brigitta* elocata eſt Filio Caſtellani Kovalienſis *Bninſcio*, quæ Domus
eadem eſt cum *Opalinſciis* de *Bnin* Comitibus, e qua fuit mater Reginæ Chriſtianiſ-
ſimæ Ludovici XV. Conſortis, Populi Noſtri honorificentiæ, *Quarta Roſalia* in
aſceterio Divi Franciſci *Sremæ*, pompam Sæculi abjuravit. *Ultima* Iohanna adhuc
innupta Matris ſuæ delicium eſt. Harum quinque Sororum Fratres *Ignatius*, &
Martinus in connubio vivunt ambo. Prior Capitaneus Chęcinenſis Regis Camera-
rius, cum *Dembinſcia* Filia Camerarii Regii Iudicis Cracov. Terreſtris & *Kczew-*
ſciæ Filiæ Palatini Mariæburgenſis, (Viduâ poſt *Lubinſcium* Capitaneum Oycovi-
enſem, hodierni Primatis Primique Principis Conſobrinum, Filium Boguslai Caſtel-
lani Sendomirienſis Equitis Torquati, & *Sororis*, tum hodierni Archi-Mareſchalli
Regni *Bielinſcii*, Ejuſdem cum *Zaluſcia* Domo Originis, æque *Junoſſiæ*, Equitum
Albæ Aquilæ in Senio Decani, tum & Michaelis Palatini Culmenſis, nec non Co-
mitiſſæ de *Beſenval* Pariſiis commorantis. Alter Martinus ſociavit ſibi *Waleſciam*
primariæ in Palatinatu Siradienſi & Lancicienſi Domus, Filiam Caſtellani Spici-
mirienſis, Neptem Caſtellani Lancicienſis Aulæ Primatialis Mareſchalci, Eq. Aq. A.

(63) Hunc Cathalogum ornate copioſeque deſcripſit laudatus jam *Podkanſcius*
in eadem, quam ſupra citavimus epiſtola. Circa hujus Bibliothecæ apertionem
Anno 1748. una cum Celſiſſimo Fratre germano, Cracovienſium Antiſtite Severiæ
Duce, IV. Aurea numiſmata iis, tum incolis, tum exteris Litteratis, qui omnium
optime tum Solutâ tum Ligatâ Oratione neceſſitatem publicarum Bibliothecarum, &

exumi-

eximium ex iis in publicum bonum manantium emolumentorum usum commendaverant, in præmium Zaluscius contulit. Ab obitu Principis Fratris, transactione publica eam Bibliothecam ità disposuit, ut post mortem illius, esset sub cura Patrum Soc. JESU Provinciæ Mazoviæ Assistentiæ Polonæ, hoc pacto: ut perpetuis temporibus, viris Litteratis, singulis Septimanæ diebus ferialibus esset patula, hocque respectu, pro dote Bibliothecæ, suo beneficio ex omnibus Europæ Oris, ità, ut dici possit - *procul & de ultimis finibus pretium eius* - congregatæ, & publico bono patenti, assignavit Palatium suum recens exædificatum, tum & alias ædes, quas actu instaurat, & cum tempore instauraturus est, unâ cum ingenti ambulacro [*Galeriam* vocant.] deinde Areas & hortos contiguos ac limitrophos, nec non Censum perpetuum de Summa Quadraginta sex Millium Florenorum in villa *Gąski* Illustrissimi Domini *Suffczynski* Castellani Cernensis, Equitis Aquilæ Albæ, locatorum, dono perpetuo applicavit.

[64] De hoc Opere legi potest Conspectus Supra jam citatus p. 9. 16.

[65] Vide eundem Conspectum p. 16. 77. Cur vero Illustrissimus Autor opera ista præstantissima hominibus Litteratis, atquè Musæ Polonæ alumnis, diu jam promissa, publici juris nondum fecerit, ipsius est consulenda Epistola, ad Eminentissimum Cardinalem *Quirinum* exarata p. 10. seq. -

[66] Opus hocce copiosè est descriptum in Programmate Litterario pag. 5. seq. & pag. 19 - 26.

[67] Hoc opus in tres partes est divisum. *Prima* continet Statum Ecclesiasticum, *altera* politicum, *tertia* vero Militarem. Vide fusius Programma citatum p. 54. & 75. 76. & 77.

[68] Miaskovius erat Frater germanus Matris, *Lipscii* Episcopi Cracoviensis S. R. E. Cardinalis. Vir Ordinis sui præcipuus, præcipuisque animi dotibus adornatus, morte fuit ereptus ipsis Calendis Martiis Anno 1737. ætatis suæ LXXX. Varia reliquit scripta, quæ recensui in Polonia Litterata, Parte I. p. 116. 117.

[69] Casimirus *Wieruszevius* vir erat cultissimus intèr Ordinis sui ornamenta merito numerandus. Variis operibus fuit clarus, quæ pariter recensentur L. C. p. 136. 137, obiit Anno 1745.

[70] Ut sunt; Nouvelle Bibliotheque Germanique, Pomerische Nachrichten von gelehrten Sachen, Greifswaldische Critische Nachrichten, Unschuldige Nachrichten &c.

[71] Vide Ejus Abriss einer allgemeinen Historie der Gelehrsamkeit. Vol. III. Cap. XXV. pag. 687.

[72] Podkansciæ Palatinæ Ravensis Nostri Præsulis Matris, Germanus, consociaverat sibi *Gozdzkiam* Castellani Czerniechoviensis Sororem, natam Comitissâ *Tarlovia* affine Iohannis *Tarlo* Palatini Sendomiriensis Equitis Aquilæ Albæ, & Caroli, Generalis Exercitus Gallici, S. Spiritus Equitis, qui pacta Matrimonialia Ludovici XV, cum Maria *Lesczczynia* proximo sangvine sibi junctâ subscripsit, tum & Adami *Tarlo* Palatini Lublinensis Equitis Aquilæ Albæ duello infelici sublati. *Tarlonum* Domus celeberrima, ejusdem cum *Ossoliniis*, quibus *Zaluskius* quintuplici nexu conjunctus est, originis, tantæ est antiquitatis, ut inter XII. Palatinos, qui post *Lechum* Primum Poloniæ Monarcham Regni Gubernacula tenuerunt, unus ex Prosapia Comitum *Starzonum* (nam ità olim vocabantur *Tarlones* & *Ossolinii*) numeraretur. Quod attinet alterum nexum Zaluskii cum *Tarlonibus*, is procedit ex uterinâ Sorore prædicti Principis *Lubomirski* Antonii Ensiferi Regni, progeniti matre *Tarlovia* Sorore 1. Iohannis Palatini, Sandomiriensis, Equitis Aquilæ Albæ, (cujus prior Consors erat germana hodierni Palatini Cracoviensis Supremi Exercitus Regni Ducis, Altera vero *Krasinscia*, quæ eo è vivis sublato, vivit nunc cum Principe Lubomirskio Palatino Lublinensi, Equite, Aquilæ Albæ) 2. *Cetnerovia* Palatinæ Smolenscensis, cujus Filia nupsit hodierno Palatino Podlachiæ Equiti Aquilæ Albæ, Comiti *Rzevuscio* (Palatini hodierni Podoliæ Campi - Ducis Exercitus Regni, Equitis Aquilæ Albæ, cum Principissa *Lubomiria* dicti Antonii Palatini Lublinensis Sorore Consociati, Fratri Patrueli) qui ex ea nactus est Filios *Iohannem* Cancellarium Leopoliensem, & *Franciscum* supremum Exercitus Regni Notarium, ac è vivis ereptum, Regni Sub Dapiferum Equites Aquilæ Albæ, nec non *Humieckiam* Comitissam, Parisiis hoc tempore agentem, viduam Dapiferi Regni Equ. Aq. A; Filii, authoritate, & consilio plurimum valentis, & celebrati Palatini Podoliæ itidem Equitis Aquilæ Albæ *Humieckii*. 3. *Mniszechia* Archimarescallæ Regni, Matris

I. *Georgii* Comitis *Mniſzech* hodierni Curiæ Regni Mareſchalli Equitis Aquilæ Albæ, cum Filia Comitis de *Brühl* conſociati. II. *Iohannis* (ſupremi Archi-Camerarii Litvaniæ Equitis Aquilæ Albæ nuper defuncti) Cujus vidua eſt Soror hodierni Palatini Junivsadislavienſis Equitis Aquilæ Albæ Comitis *Zamoiſcii* & hodierni Capitanei Lublinenſis, qui iniit Connubium cum Ludovica *Poniatowſcia* Filia hodierni Caſtellani Cracovienſis Equitis Aquilæ Albæ, primarii Regni Senatoris, ex (Sorore tam hodierni Epiſcopi Posnanienſis, quàm & Palatini Ruſſiæ, nec non Archi Cancellarii Litvaniæ Equitum Aquilæ Albæ) Duciſſâ *Czartoryſciâ*, quæ fuit Filia Caſtellani Vilnenſis Equitis Aquilæ Albæ, & *Morſztiniæ* Filiæ Archi Theſaurarii Regni, cujus Mater Comitiſſa *Gordon* de *Huntley* Regum Scotiæ Sanguinem affinitate tangebat. *Zamoyſkia* autem eſt Filia Palatini Smolenſcenſis ex Duciſſa *Wisniowieckia* Filia Michaelis Palatini Vilnenſis, primum Archi Cancellarii, demum Supremi Ducis Lithvaniæ exercitus, Regis Michaelis Jagellonio-Coributei Pronepotis. III. *Tereſſiæ* (Conſortis Comitis *Wielopolſcii* Supremi Regni Vexilliferi Equitis Aquilæ Albæ, Filii Palatini Cracovienſis, Nepotis Archi Cancellarii Regni germanam Reginæ *Sobieſciæ* in connubio habentis,) Fratris vero germani hodierni Palatini Sendomirienſis Equitis Aquilæ Albæ, (Regis Stanislai Sorori Amitinæ, *Jablonoviæ* germanæ hodierni Palatini Novogrodenſis Equitis S. Spiritus, natæ Matre *Sieniawſcia* germana Caſtellani Cracovienſis Supremi Ducis Exercitus Regni conſociati) quæ *Thereſſia* inter alias proles, habuit Filiam nuptam Comiti Theodoro *Weſſel* hodierno Archi Theſaurario Regni, Equiti Aquilæ Albæ, Noſtri Præſulis Nepoti (IV. *Ludovicæ*) Joſephi Comitis *Potockii* Caſtellani Cracovienſis, Supremi Ducis Exercitus Regni, Equitis Aquilæ Albæ, Viduæ ſuperſtitis, primariæ Regni Senatricis.

Ut ad Sororem uterinam præmemorati Antonii Principis *Lubomirſcii* Gladiferi Regni Aquilæ Albæ & Sancti Andreæ, ac Sancti Huberti, Equitis, redeamus, ea eſt *Barbara* Comitiſſa *Szembek*, Filia Dapiferi Regni, germani Iohannis Archi-Cancellarii Regni, quæ primum nupſerat *Rzewuſcio* Equiti Aquilæ Albæ, tum Dapifero Regni, qui poſtea fuit Palatinus Volhiniæ, dein Palatino Cracovienſi Supremo Exercitus Regni Duci *Branickio*, demum Celeberrimo totâ Europâ Heroi Comiti *Lovendahlio*, Mareſchallo Franciæ, Equiti S. Spiritus, ex quo Conſortio nacta eſt Filium minorennem & tres Filias, unam *Benedictam* Alexandro Comiti *Oſſolinio* Capitaneo Drohicenſi, Noſtri Præſulis ex germana Sorore Nepoti, *Alteram* Comiti Lancelotio *Turpin de Criſſé* Regi Chriſtianiſſimo in favoribus, Authori Operis eruditiſſimi de *Tactica*, (de quo in France Litteraire pag. 142.) elocatas; *Tertiam* innuptam. Dum hæc ſcribo, video in Typographia *Mitzleriana*, Arborem Genealogicam Comitum *Starzonum*; nempe *Tarlonum*, *Tenczynſkiorum* & de Tenczyn *Oſſoliniorum*; quam Dn. Pribislaus Mutina *Diamentowſki* Eques Polonus in formæ ampliſſimæ Mappa Genealogica delineavit, quamque Ill. Dn. Comes *Tarlo* Capitaneus Goscinenſis Præſulis noſtri amicus & affinis; imprimendam exhibuit.

(73) *Zaluſkio* Noſtro intercedit affinitas cum Ducibus *Radziviliis* triplex, per Joſephum Principem *Lubecki* Filium Caſtellani Minſcenſis ex Franciſca *Kopciouna*, quæ eo mortuo nupſit Carolo *Zaluſkio* Supremo Culinæ magni Ducatus Lithvaniæ Præfecto, Capitaneo Livenſi, Noſtri Præſulis Patruo, qui demum Joſephus junxit ſibi connubiali foedere *Dorotheam* Filiam Illuſtriſſimi Iohannis *Oſſolinii* Caſtellani Goſtinenſis, germani Principis *Oſſolinii* Equitis S. Spiritus, in Gallia Ducis, Sororem Amitinam Regis Stanislai in coniugio habentis & Ludovicæ *Zaluſkiæ* Noſtri Præſulis germanæ Sororis. *Lubeckiorum* autem Principum in alba Ruſſia, [cuius Domus duo ſaltem ſuperſunt Surculi, Nobiles Juvenes] cum Ducibus *Radziwiliis* & *Kopciorum* cum Comitibus *Sapieha* plures nexus longum eſſet hic recenſere. Confer quoque Numero 18. ubi altera affinitas per *Micielſkios* Zaluſkiorum enarratur. Tertia affinitas derivatur per *Mianczynſcios*; nam viduæ Hieronymi Vexilliferi Litvaniæ, germani Palatini Vilnen: amita, genuit Thomam *Oſſolinium* Capitaneum Nurenſem Ducis filium, neptis noſtri Præſulis ex germana Sorore maritum.

[74] *Kochanovii* ſunt affines *Zaluſkii*, cuius Proavia fuit ex hac Nobiliſſima Domo, quæ à *Corvinorum* familia Romana, originem ducere armis teſtantibus perhibetur. Frater Patruelis Valentini eſt *Joſephus*, Frater Czechovienſis Caſtellani Regni Senatoris, quem Joſephum *Zaluſkius* primum Canonicum, demum Prælatum Cantorem Kiiovienſem creavit. Ex hac familia fuit Clariſſimus *Kochanovius* Poetarum Polonorum Princeps merito conclamatus, qui poſt editum Davidicum Pſalterium,

ſcripſit

ſcripſit quoque plura Carmina Latina exteris planè ignota, quorum edendorum facultatem, conceſſis ex ſua Bibliotheca lucubrationibus, Noſter Præſul cuivis litterato peramanter offert, & pollicetur. Dum *Kochanovio* Senatoria Caſtellanatus *Smolenſcenſis* Dignitas à Rege offeretur, eam planè reſpuit, *veritus* [ita aiebat legis ſumptuariæ Præco] *ne quod Tribunus Sendomirienſis cum parſimonia omni, ſibi pro tota vita paraſſet cibi, diebus paucis abliguriret Senator.*

[75] Affinitas *Zaluſkio* cum *Potociis* quintuplex intercedit. *Primum* per Nepotem ſuum Franciſcum *Zaluſki* Comitem S. R. I. & de *Riviere* d' *Arſchot*, de *Heer*, Baronem de *Houffaliſe* Capitaneum Grojecenſem, cuius conſors eſt Filia *Cieſzkowſki* Caſtellani Livenſis. Mater vero Ioanna *Danilovicia* [*Sobieſcianæ* Domui cognata, nam Mater Herois incomparabilis Iohannis III. fuit *Danilovicia*] cujus Joannæ duæ Sorores germanæ, *Potockiis* Comitibus ſunt élocatæ. *Tertia* quidem *Potockio* Caſtellano *Slonſcenſi*, [quorum una Filia vivit cum *Rudzinſcio* hodierno Palatino Maſoviæ, Equite Aquilæ Albæ, altera cum *Kraſinſcio* Capitaneo Craſnoſtavienſi.] *Conſtantia* vero primum nupta fuit *Malachowſcio* Capitaneo Smotricenſi, hodierni Regni Archi-Cancellarii cognato, [ex quo matrimonio progenita filia, vivit cum hodierno Supremo Culinæ Regni Præfecto Comite *Gozdkio* Equite Aquilæ Albæ] demum mortuâ priore conſorte *Sobieſcia*, viduo *Potockio* Caſtellano Braclavienſi, cuius Filius Capitaneus Trembovlenſis, jungitur connubio *Sapiehiæ*, hodierni Palatini Cracovienſis, Supremi Ducis Exercitus, Comitis *Branicki* ex Sorore Nepti. (*Hoc loco monendum cenſeo. Abbatem* Coyer um *recens evulgatæ Hiſtoriæ Ioannis III. Sobieſkii Regis Poloniæ authorem; erraſſe, dum matrem Regis vocat* Zolkieviam; *cum fuiſſet Teophila* Danielcvicia; at Zolkievia *fuit avia, Genitricis Genitrix. Sunt & alia plura in hac Hiſtoria ſphalmata, quæ Præſul Noſter obelo notavit, per obſervationes, Authori, ſuo olim amico, pro correctiori novæ Editione tranſmittendas.*) *Altera Zaluſkii* affinitas cum *Potockiis* intercedit per *Thereſſiam* Filiam Ioſephi *Oſſolinii*, hodierni Palatini Volhiniæ, Equitis Aquilæ Albæ (Filii Ducis Franciæ & Equitis S. Spiritus *Maximiliani*, cuius Conſors altera, fuit Soror amitina Regis Stanislai, Nepotis vero Illuſtriſſimi Caſtellani Goſtinenſis, cui ſociata eſt connubio Ludovica *Zaluſkia* germana Noſtri Præſulis Soror] quæ his diebus elocata eſt Ioſepho *Potockio* Capitaneo Lezayſcenſi, Filio Stanislai Palatini Poſnanienſis Equitis Aquilæ Albæ ex Helena *Zamoyskia* Filia Palatini Smolenſcenſis, nepoti vero Ioſephi *Potocki* Caſtellani Cracovienſis, Senatoris primarii Equ. A. A, qui paſſim ſub nomine Domini *Kiowski* [à Palatinatu Kijovienſi, quem pluribus interruptim poſſedit annis, ita exteris dicti] cognitus, & in novellis concelebratus eſt; cujus prior conſors fuit Regis Stanislai Soror amitina *Leſcinia* altera ſuperſtes vidua eſt Thereſſia *Mnijech*, Filia Joſephi Caſtellani Cracovienſis, Senatoris primarii Equitis Aquilæ Albæ, (ex *Tarlovia* Palatini Sendomirienſis Sorore,) Germana vero hodierni Mareſchalli Curiæ Regni, Equitis Aquilæ Albæ, poſt *Sembekiam* Filiam Archi-Cancellarii Regni cum Comitiſſa de *Brühl* Primarii Regis Noſtri in Saxonia Miniſtri Filia, ſecundo utinam ſecundiſſimo voto viventis. *Tertius* nexus procedit ex prædictæ *Oſſolinskiæ*, *Potockii* Capitanei Lezayſcenſis Conſortis, Patruo, Thoma Comite *Oſſolinski* Capitaneo Nurenſi, cui nupſit Thereſſia Comitiſſa *Lanckoronſka*, filia Alberti Caſtellani Goſtinenſis (qui inter avos ſuos numerabat decadem Senatorum, & unum Exercitus Regni Ducem, familiamq; deducebat, ex Marchionibus de *Breze* in Gallia) & Alexandræ *Zaluſkiæ* germanæ Noſtri Præſulis Sororis, quorum Filia unica his diebus deſponſata eſt Rocho Comiti *Jablonowſcio* Caſtellano Viſlicenſi, Comitis prædicti *Mnijech* affini. Frater Capitaneæ Nurenſis Franciſcus *Lanckoronſcius* Ravenſis Capitaneus, qui tyrocinium ætatis apud Noſtrum Præſulem peregit Romæ, ſociavit ſibi Eleonoram *Garczynſciam* Filiam Palatini Poſnanienſis, Equitis Aquilæ Albæ, cujus Frater Caſtellanus Junivladislavienſis habuit in connubio Catharinam *Zaluſkiam* Filiam Caſtellani Ravenſis ex *Fredrovia*, Noſtri Præſulis Sororem patruelem, cuius germana nupſit *Weſſelio* Caſtellano Varſavienſi, Principis Regiæ Conſtantinæ *Sobieſciæ* germano. Franciſci *Lanckoronii* Capitanei Ravenſis ſunt tres Sorores, *Thereſſia* Comitis *Oſſolinii* ut ſupra dictum eſt, conjunx. *Conſtantia* Conſors Antonii Comitis *Koſtworowſcii* Capitanei Czernenſis, & *Martina* elocata Comiti *Stadnicki* Dapifero Podoliæ, cuius Avus fuit Palatinus Volhiniæ, iidemque avunculus Palatinæ Volhiniæ *Oſſoliniæ*; matris prædictæ Thereſiæ *Potockiæ*. *Quarta* affinitas *Zaluskiorum* cum *Potockiis* intercedit ex capite Ludovicæ *Zaluſkiæ*, Noſtri Præſulis neptis, junctæ *Szaniavio* Ca-

pitaneo Kąkolownicensi, (Filio Venatoris M. D. Lithvaniæ, nepoti Episcopi Craco-
viensis Magni *Szaniavii*,) cuius Mater fuit *Potockia* filia Palatini Czerniechoviensis
Primatis Regni germani, *Szaniavii* vero hujus germana nupsit *Potockio Capitaneo* Blo-
nensi Filio Palatini Volhiniæ ex Comitissa *Oginscia*. Ultima Nostri Præsulis cum *Poto-
ckiis* affinitas oritur per prædicti Francisci *Zaluskii* Capitanei Groiecensis consor-
tem *Ciesżkoviam* Castellani Livensis filiam, nam ea proximo Sanguine jungitur
Comitissæ *Kąnckia* filiæ olim Supremi Gladiferi, & Generalis Artilleriæ Regni
Comitis *Kąncki* Equitis Aquilæ Albæ, & Victoriæ *Sczuka*, quæ fuit Pro-Can-
cellarii Lithvaniæ, & *Potockia* Filia. Comitissa *Kąncka* (cujus amita *Potockio* Ma-
reschallo Curiæ, Equiti Aquilæ Albæ, germano Primatis Regni, nupta, fuit filia primarii
Senatoris Castellani Cracoviensis) itidem in consortio conjuncta est Eustachio Co-
miti *Potocki* nuper Pincernæ Regni, nunc supremo Rei armamentariæ in Lithva-
nia Præfecto, Equiti Aquilæ Albæ, Castellani Lubaczoviensis Fratri, quorum Pa-
ter Capitaneus Tlumacensis, Mater ex *Podberesciana* Ducalis sanguinis Domo,
Avus vero fuit Felix *Potocki* Castellanus Cracoviensis, Supremus Regni Exercitus
Polemarcha. Videbis hæc omnia fusius in Genealogia Potockiorum, quam Noster
Præsul adjecit editioni suæ, omnium operum Pauli *Potocki*, Patris Primatis Regni.

(76) Affinitas Nostri Præsulis cum Principibus S. R. I. *Jablonoviis* deducitur
ex *Kazanowscia* ejus abavia, agnata Consortis Stanislai *Jablonovii* Castellani Craco-
viensis, Supremi Exercitus Regni Ducis. Matronæ pientissimæ (cujus vitam Anony-
mè editam debemus Patri *Berent* Soc. JESU) illius *Jablonoviæ* (Filia) fuit Mater Lescinia
Regis Stanislai, & *Camberiaci* (*Chambor*) in Gallia, ubi plerumque cum Rege Filio
reliquum vitæ peregit, titulo - *Madame Royalle* - vocabatur. (Filius natu major) fuit
Johannes Palatinus Russiæ, Eques Aquilæ Albæ, variarum lucubrationum, quas
Noster Præsul in sua Bibliotheca scriptorum Polonorum recenset, Author, qui ex
Comitissa de *Bethune* Reginæ Sobiesciæ nepte, Theresiæ *Sobiescia* Matris Caroli VII.
Imperatoris Sorore amitina, reliquit tres filios, & Filias tres. (1mo) *Stanislaum
Vincentium* Palatinum Raversem Equitem S. Spiritus, & Aquilæ Albæ, Patrem ex
Bronisżovia, *Radomicki* Palatini Junivlad. vidua, Barnabæ, hodierni Palatini Pos-
naniensis; Eq. A. A. cui nupsit Anna *Sanguskia* filia Pauli Principis, Supremi Lithvaniæ
Archi-Mareschalli Equ. A. A. ex Sangvine Regio-Jagiellonico oriundi, & Barbaræ
Dunin Filiæ Jacobi Referendarii Regni. Unus ex aboriginibus *Duninorum* fuit Petrus
Danus vulgo *Dunin* dictus, Regum Daniæ affinis, tantarum opum dives, ut LXXVII.
Ecclesias de solido muro in Polonia (inter quas eminet Templum P. P. Dominica-
norum Vratislaviæ in Silesia olim Polonis subjecta) exædificasset, totidemque Li-
nearum Collateralium, benedictione cælesti adæquatâ in numero, fuisset Protoplasta;
testibus Nostris Historiographis. (2do) Iohannem Cajetanum hodiernum Palatinum
Braclaviensem, Equitem Velleris aurei, qui primâ consorte *Wielohurscia* hodierni
Castrorum Metatoris Regni Equitis Aquilæ Albæ amitâ amissâ, vivit cum *Sapieha*
Filia olim Generalis Artilleriæ Lithvaniæ, Equitis Aquilæ Albæ, Palatini Brestianensis
designati, Fratris Josephi Coadjutoris Episcopatus Vilnensis, Achatis Nostro Præ-
suli tenerrimâ dilectione conjuncti; & Michaelis Procancellarii Lithvaniæ, Equitis
Aquilæ Albæ, cujus superstes Vidua, est filia hodierni Archi-Cancellarii Lithva-
niæ, Equitis Aquilæ Albæ, neptis Palatini Russiæ, & Episcopi Posnaniensis, Equitum
Aquilæ Albæ, ac *Poniatovia* Castellanæ Cracoviensis, Matris Palatinæ Cracoviensis
Supremæ Ducissæ Exercitus Regni Comitissæ *Branickia*. Illa autem *Sapiehia* Pala-
na Braclaviensis, est filia Palatinæ Novogrodensis *Jablonovia*, germanae Principis
Radziwil, hodierni Palatini Vilnensis Supremi Exercitus Lithvaniæ Ducis Aq. Al.
S. Andreæ, & S. Huberti Equitis, cujus prior consors fuit Francisca Filia *Janussi*
Principis *Wisniowiecki* Castellani Cracoviensis Senatoris Primarii, Equitis Aquilæ
Albæ, Regis Michaelis Pronepotis. Altera est *Mycielscia* filia Matthiæ Castellani
Posnaniensis Equitis Aquilæ Albæ, Regis Stanislai affinis. Pater vero fuit Carolus
Archi-Cancellarius Lithvaniæ Eques Aquilæ Albæ, natus Catharinâ *Sobieskia* Re-
gis Iohannis III. germanâ Sorore. (3tio) *Demetrium* Capitaneum Kowelensem
Equitem S. Huberti, qui mortuâ priori consorte *Szembekia* Filiâ Palatini Siradien-
sis, ex *Leszczynia* Regis Stanislai affine, convolavit ad alia vota cum *Mycielskia*
Filia Mathiæ prædicti Castellani Posnaniensis. (4to) Mariannam elocatam Prin-
cipi de *Talmont* & *Chatelleraut*, de cujus Familiæ prærogativa satis dicemus, cum
Tremoillios ad Regnum Neapolitanum jure Sangvinis esse Prætendentes allegabimus.
(5to) Catharinam nuptam Maximiliano Francisco Duci *Ossolinio*, primum Archi-

The-

Thesaurario Poloniæ, demum relicto solo Paterno, Duci Franciæ Equiti S. Spiritus, Aulæ Regis Stanislai Archi-Mareschallo, cujus germanus Castellanus Gostinensis vivit cum Ludovica *Zaluskia* Nostri Præsulis germana Sorore. (6to) Monialem Benedictinam S. S. Sacramenti Leopoli. (Filius Jablonoviæ natu minor) Alexander *Jablonovius* Supremus Regni Vexillifer, qui ex *Sieniavia* germana Adavi *Sieniavii* Castellani Cracoviensis, Senatoris primarii, Supremi Exercitus Regni Ducis, Equitis Aquilæ Albæ, suscepit Filium *Josephum* Alexandrum hodiernum Palatinum Novogrodensem Equitem S. Spiritus, (cujus consors est Carolina germana Principis *Radziwilii*, hodierni Palatini Vilnensis Supremi Exercitus Lithvaniæ Ducis, post *Sapieham* vidua,) & duas filias, quarum natu major, est nupta hodierno Palatino Sendomiriensi *Wielopolscio* Equiti Aquilæ Albæ Nepoti Archi-Cancellarii Regni (cujus altera consors erat, germana Reginæ Poloniæ, Comitissa d' *Arquien de la Grange*) - Natu minor vero est consors præmemorati *Woronicz* Castellani Kijoviensis Equitis Aquilæ Albæ. Denique cum hæc scribo, innotescit ex publica fama proneptem Nostri Præsulis Catharinam *Ossolinskiam* Filiam *Thomæ* Capitanei Nurensis (Fratris hodierni Palatini Volhiniæ, Filii Ducis *Ossolinii* Equitis S. Spiritus,) & Theresiæ Comitissæ de *Breze Lanckoronsciæ* filiæ Castellani Gostinensis Adalberti, & Alexandræ *Zaluskiæ* Nostri Præsulis germanæ Sororis) jungere in mutua fœdera dextras cum Comite *Jablonovio* Castellano Vislicensi, cujus prior Consors fuit filia Josephi *Scipionis de Campo* Mareschalli Curiæ Lithvaniæ, Equitis Aq. A. Nostri Præsulis amici integerrimi, & desideratissimi, ac Verenæ *Firleyæ* ex hac Celsissima Domo (quæ olim medietatem Palatinatus Lublinensis possidebat) ultimæ.

Woronicz Kijoviensis Castellanus ipse, Zaluskio Nostro est affinis per Caput *Wapowsciæ* suæ Aviæ, nam Filia Dapiferi Regni *Wapowii*, (Bernardi Custodis Cracoviensis Poloni Historiographi Neptis,) quæ dolendo fato aquis submersa est, post Generalem Exercitus Lithvanici Comitem *Kopec* [germanum Franciscæ *Zaluskiæ* nuptæ Patruo Nostri Præsulis Carolo Supremo Culinæ Lithvaniæ Præfecto] & *Krasnowscium*, fuit tertio conjugio juncta, altero dicti Præsulis Patruo Francisco Comiti *Zaluski* Palatino Plocensi Equiti Aquilæ Albæ, quo demortuo nupserat hodierno Palatino Plocensi Nicolao *Podoscio* Equiti Aquilæ Albæ. Soror Castellani Kijoviensis *Woroniczii* fuit elocata Antonio *Poninski* Palatino Posnaniæ Equiti Aquilæ Albæ [cujus extant *Opera Heroica* & *Sarmatides Satyræ* tersissimo Carmine Latino haud invitâ minervâ elucubrata] Ejusque secundi voti consors vidua superstes Salomea *Szembekia* Succamerarii Cracoviensis Filia, Primatis Regni Christophori Neptis; est germana Francisci hodierni Livoniæ Palatini Equitis Aquilæ Albæ & nuper defuncti Episcopi Plocensis. Ex priori conjugio Palatinus Posnaniensis *Poninscius* reliquit Filium [habentem in consortio *Kalinowsciam* Capitanei Vinnicensis filiam; Martini Campiducis Regni proneptem,] Ill. *Antonium* Capitaneum Ostrensem nuper Petricoviensem, Camerarium Regium, dum hæc scribo designatum ad Curiam Romanam Ablegatum, qui Patrem imitatus, Musas Polonas excolit, carmenque fundit acutum. Ex altero vero connubio cum *Szembekia*, *Nepomucenum* Colonellum, qui junioris *Racinei* gratiosum, de *Gratia Christi Domini* Poema, toidem, ut textus habet Gallicus, numeris, Polonâ donavit urbe, *venustâ* [sunt verba Illustrissimi Præsulis,] *si ex ungue leonem conjicere licet*, *metaphrasi*. Uterque Frater spopondit *Zaluskio* suos transmittere versiculos, pro Tomo VI. suæ Collectionis Rythmorum Polonorum.

(77) Affinitas cum *Zamoyskiis* uti & *Potockiis* Illustrissimi Præsulis superius commemorata est Sub No. 70.

(78) Destinatum sibi habebat *Torquem* Ordinis Boici Equestris, Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ, ac S. Georgii (per *Carolum* VII. Imperatorem renovati, & à S. Sede approbati) à Serenissimo Electore Bavariæ, qui *Zaluskium* toto bimestri [1758. in Decembri & Januario 1759.] *Monachii* humanissime, imo & honorificentissimè excepit, tum ex Gallia, redeuntem, quo Abbatiam utramque lustraturus abierat, eo indubie respectu, quod olim Patruus ejus Celsissimus Andreas Chrysostomus, Princeps Episcopus Varmiensis, & Regni Archi-Cancellarius, Aviam suam Theresiam *Sobiesciam* Iohannis III. magni illius Regis Orthodoxi filiam *Bruxellas* Regia legatione functus desponsandam deduxerit, ibique Hymenæum sacro ritu benedixerit, vices absentis Electoris Maximiliani Emmanuelis repræsentante Paranympho, altero Nostri *Zaluski* Patruo Francisco *Zaluski* tum Castellano Voynicensi, dein Czerniechoviæ, ac demum Palatino Plocense, Equite Torquato,

(De Francisco duo ſingularia dicenda ſunt: Primum una eademque die, imo in eodem cur-
ru magnifico *Plociam* publicum celebraſſe ingreſſum Anno 1724, 2. Maij cum nepote
ſuo renunciato Epiſcopo Plocenſi [qui poſtea ad Cracovienſem promotus eſt] Al-
terum, viduam ejus [poſtea aquis ſubmerſam] *Wapowſciam* Bernardi *Vapowii* Hi-
ſtorici Poloniæ proneptem; nupſiſſe hodierno Palatino Plocenſi Nicolao *Podoſkio*
Junoſſitæ, Equiti Aquilæ Albæ, & ità nec titulum Palatinatus, nec arma Gen-
tilitia Mariti mutato hymenæo immutaſſe.]

Habes B. L. exactam prædictorum Electoris Bavariæ ſponſalium deſcriptionem
in *Zaluſkii* Epiſtolis hiſtoricis Tomo III. Acceſſit hoc quoq; quod Noſtri Præ-
ſulis Frater natu major, Andreas Stanislaus Koſtka *Zaluſki* Epiſcopus Culmenſis,
& Archi-Cancellarius Regni, (demum Epiſcopus Cracovienſis Dux Severiæ)
Auguſtum Sereniſſimi Electoris cum Regis Noſtri Clementiſſimi Filia Principe
Maria Anna, item ſolenni ritu benedixerit connubium, Metropoli Saxoniæ *Dreſdæ*,
[uti legere eſt in *Hubneri* ſupplementis Hiſtoricis Tomo X. pag. 1082.) ut ſilen-
tio prætercam aliqualem Genealogicæ connexionis relationem *Zaluſkiorum* cum
Sereniſſima Electorali Domo per *Sobieſkios*, uti videre eſt ſub numero 46. [Non
Johannæ ut perperam legitur in prædicto *Hubneri* ſupplemento Tomo 8. p. 365.
& 713. at prædictus Palatinus Plocenſis *Zaluſkius* nupſerat primum Dorotheæ
Comitiſſæ de *Riviere* d' *Arſchot de Heer* Canoniſſæ Montibus Hannoniæ, Herulæ
Crucis ſtellatæ Imperatricis Eleonoræ, Domicellæ honoris Principis Neoburgicæ
Iacobi *Sobieſkii* conſortis, cujus Domus antiquitate nulli cedentis, in Eccleſia Ab-
batiæ *Heverlai* prope *Lovanium* (vide Abrahami *Golnitzii Ulyſſem Gallo-Bel-
gicum* editionis 1655. pag. 102.) in Belgio, Genealogia (*riſum teneatis amici*)
ad ipſum perducitur Patriarcham *Noe.* Hujus Domus plenè Hæres nunc eſt No-
ſtri Præſulis ex Fratre Patruele Nepos Franciſcus *Zaluſki* S. R. Imperii & de
Riviere Arſchot de *Heer* Comes, Capitaneus Groiecenſis, Generalis major Exerci-
tus Regni, poſt avum ſuum maternum *Zaluſciæ* Palatinæ Plocenſis germanum,
Vice-Regem *Murciæ*, Gubernatorem *Carthagenæ* in Hiſpania, Equitem Velleris
aurei, quorum germanam Abbatiſſam in *Herkenrode* prope Leodium, S. R. I.
Principem, Parthenonis Virginum Nobilium Ordinis Ciſtercienſis antiſtitam, Noſter
Præſul Anno 1741. illas oras peragrans inviſit, humaniſſimè per aliquot dies ibi-
dem exceptus, ab illa amitæ ſuæ Sorore. Filius Palatini Plocenſis, adeoq; Pater
Franciſci Capitanei Groiecenſis (pro Conſorte habentis *Cieſzkowſciam* Filiam Ca-
ſtellani Livenſis & *Suſczynſciæ* agnatæ hodierni Caſtellani Czernenſis, Equitis Aqui-
læ Albæ) fuit Chriſoſtomus Henricus *Zaluſki* Capitaneus Lublinenſis Eques S.
Stephani, Florentiæ Ducum Ordinis Torquati, qui habuit in Conjugio Johannam
Danieloviciam ex Comitiſſa *Denhoffia* natam [Danieloviciorum vero Familiam à
Daniele Rege *Haliciæ* originem ducere pervulgatum eſt,] quæ ſuperſtes *Jo-
hanna* eſt proneptis Matris Joannis III. Regis illius glorioſiſſimi, Danieloviciæ.
Sed è diverticulo ad viam redeamus. Iam Sereniſſimus Elector Bavariæ per Able-
gatum ſuum Baronem *Scarlatti* à Summo Pontifice Benedicto XIV. obtinuerat
Breve Apoſtolicum de data IV. Aprilis MDCCLVIII, ſuper conceſſione & au-
gmentatione duorum Equitum Eccleſiaſticorum honoris, idque favore *Zaluſcy* fu-
turi tertii, Ordinis Prælati, nam Pontificia Bulla approbationis præmemorati Or-
dinis duos ſolos admittit ex ordine Spirituali Prælatos, jamq; *Zaluſkius* ſuam de-
ductionem Genealogicam XXXIV. gradibus diſtinctam, directam ex utroq; Pa-
rente procedentiam enucleantem, ab olim Patruo ſuo Martino *Zaluſki* primum
Equite Melitenſi, dein Epiſcopo Suffraganeo, & Præpoſito Plocenſi Duce Sielu-
nenſi additis addendis mutuatam; *Monachium* tranſmiſerat ad Comitem de *Prey-
ſing* Ordinis Cancellarium, cùm eodem ferè temporis intervallo, gratiâ Clemen-
tiſſimi Regis Torque aurea *Aquilæ Albæ* donatus fuiſſet. Et ita amiſit ſpem aſſe-
quendi Ordinis Bavarici ob incompatibilitatem, quæ inter illum, & alios Europæ
Ordinis Equeſtres intercedit. Cæterum ad hunc, præter alios omnes Equeſtres Ordines
ſemper ſummo deſiderio, & anhelo ſpiritu ferebatur *Zaluſkius*, ob titulum *Im-
maculatæ Conceptionis* B. V. MARIÆ, ei annexum, quo nomine ſinguli Equites
Bavarici Torquati, ſanguinarium, ut ajunt, emittunt votum, defendendi uſq;
ad effuſionem ſanguinis hanc prærogativam Intemeratæ Virginis Dei-paræ Im-
maculate Conceptæ MARIÆ quam *Zaluſkius* tenerrimo ab incunabulis deperit
amore. Nec enim publicam circa hanc devotionem ſuam fefellit opinionem, or-
tam ex prædictione, hariolante ſpiritu, prolata, à Viro pietate eximio (cujus virtu-

tes heroicæ in ordine ad ejus beatificationem; undiq; ſtudio ſummo conquiruntur) Venerabili Stanislao *Papczynſki* Inſtitutore Ordinis Fratrum Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ, unde ejus cætui addicti Religioſi, vulgo apud noſtrates *Stanislaitæ* ſeu potius *Mariani* veriori nomine, dicuntur. Hunc ordinem nuper in Luſitaniam invexit, Vir itidem pietate inſignis *Wyſzynſkius.* Ille Stanislaus *Papczynſkius* vir æque litteratus (nam ejus ſcripta in lucem edita, vidi in celeberrima Noſtri Præſulis Bibliotheca, jam publico uſui dicata) ac pientiſſimus, Palatini Ravenſis *Zaluſkii* ſummè familiaris, dum quadam die Eum inviſeret, & ſpectaret ejus conſortem *Podkanſciam* Comitiſſam, tum uterum gerentem, ſummè afflictam, præviis partus anxietatibus diſcruciatam, & de optato fœtus exitu ferè deſperantem, ità mærore conſumptam conſolaſſe [uti à familiaribus *Zaluſkiæ* Domus accepi] perhibetur - *Macta ſis animo, paries equidem Filium, Deiparæ cultorem eximium, & Marianæ devotionis Propagatorem futurum.* - Specimen hujus cultus Mariani palam exhibuit Noſter Præſul *Mariophilus*, Anno 1753. die VII. & IX. Decembris, dum more apud litteratos Italos recepto, incitatus exemplo, jam fato functi Eminentiſſimi Cardinalis *Gentili*, Annis 1734 - 1735. & 1736, quibus *Zaluſkius* Romæ Ablegatum Poloniæ agebat, Prodatarii, conventum litterarium [*Academia de Letterati* Italis dicitur] inſtituit, in quo laudes magnæ Virginis Matris tum proſâ, tum metro quocunque demum Idiomate à litteratis Mariophilis celebrarentur, tale claſſicum - *Laudate eam omnes gentes, laudate eam omnes Populi* - intonante *Zaluſkio*, qui ipſe præibat exemplo & *VIII. lingvis* laudes *Matris ſuæ*, [nam ita; more Tutelaris ſui, &, ſi *Duryewſcio* Koſtkanæ Domus genealogiſtæ, fides datur, quadantenus affinis, Divi Stanislai *Koſtkæ*, Iohannis ad Regnum Poloniæ Candidati Palatini Serdomirienſis Pronepotis, Virginem matrem *ut octo* Beatam compellat] concelebravit; ſequente veſtigia Fratris, Illuſtriſſimo Martino *Zaluſki* Epiſcopo Draſnenſi, Suffraganeo Præpoſito Plocenſi, Duce Sielunenſi. Eâ occaſione *Zaluſkius* in chartulis, pro teſſera admiſſionis, inter undique confluentes Auditores, rei novitate, vel pietate excitatos diſtrahendis, [exemplo præeunte Cardinale *Cæſare Baronio*] tali uſus eſt Symbolo $\frac{I}{S} \mid \frac{Z}{M}$ [nempe Joſephus *Zaluſki* Servus Mariæ.] Uberiorem hujus Mariani cætus congreſſus deſcriptionem habes in Novellis publicis Varſavienſibus titulo - *Kuryer Polſki* prodeuntibus No. XXI. ad XII. Decembris 1753. Laudabile hoc inſtitutum ſingulis feſtivitatum B. V. Mariæ pervigiliis debebat continuari, verùm ob certas, præcedentiæ inter Collocutores æmulationes, interruptum, denuo reaſſumendum ab Illuſtriſſimo Præſule quantocius ſperatur. Falſo opinati ſunt Ephemeridum litterariarum ſcriptores; & ſignanter Author du *Mercure Danois* 1754. pag. 184. cujus ſunt hæc verba - *Une Nouvelle Societé des lettres établie à Varſovie pour l' etude de l' Hiſtoire, Chronologie, Belles Lettres, a fait l' ouverture des ſes ſeances dans l' hotel de l' Eveque de Cracovie,* - hunc Zaluſkii noſtri Cætus *Mariani* Colloquium, eſſe Societatem litterariam certis regulis adſtrictam, quæ tamen cum tempore erigi Varſaviæ adſtipulante noſtro Præſule; poterit, & ſummè optatur à ſingulis eruditis.

[79] Affinitas Noſtri Præſulis cum Celſiſſimo Principe Palatino præter ea quæ dicta ſunt ſuperius num. 75, intercedit per Comites *Mycielſcios*, nam conſors ejus altera eſt *Anna*, Filia Mathiæ *Mycielſki* Caſtellani Poſnanienſis, Equitis Torquati, Anno 1728. Mareſchalli Supremi Regni Tribunalis, ex Veronica *Konarzewſcia* Filia Theophilæ *Leſciniæ* Regis Stanislai affinis [quæ demum nupſit *Januſſio* Duci *Wisniovięcio* Caſtellano Gracovienſi Equiti Aquilæ Albæ primario Senatori, Regis Michaelis pronepoti, & ex hoc conſortio nactam unicam filiam *Franciſcam* elocaverat eidem Principi *Radzivilio* in priorem conſortem.] Nepos vero Noſtri Præſulis Martinus *Zaluſki* Comes in *Lasko* Generalis Major Exercitus Regni, vivit cum *Walewſcia* filia Roſpirenſis Caſtellani, nepte hodierni Caſtellani Lancicienſis, Eq. A. A. cujus Mater fuit *Mycielſkia* Palatini Siradienſis Filia, Matthiæ Soror. (Teritur manibus omnium Libellus Gallicè à Dn. *Prechac* editus, titulo *le Beau Polonois*, quem Polonicè habemus translatum, tum proſâ, tum carmine. Heros iſtius Hiſtoriæ Romanenſis eſt *Walewſcius.*) Demum, qui nuper debitum mortalitatis exſoluit, Hieronymus Princeps *Radzivil;* Supremus M. D. Litvaniæ Vexillifer, Catharinæ *Sobieſkiæ* Iohannis III. Sororis germanæ nepos, actualis Palatini Vilnenſis, ac Supremi Exercitus Litvaniæ Ducis natu minor frater, ſuperſtitem reliquit viduam, Comitiſſam *Mianczynſkiam* actualis Palatini Czerniechovienſis Equitis Aquilæ Albæ filiam. Imo, dum hæc ſcribo, innoteſcit mihi connubium Principis *Radzivilii* Domini *Ordinati*, (ita *Majorats-Herren* apud nos vocantur) Ducatus in *Kleck* & *Dubinki*; (ex matre

Co. *Belchackia* Caſtellani *Biecenſis* filia, natu - maioris filii, *Martini* Inciſoris dapum M. D. L. quem ex Dorothea Com. *Prebendovia* filia Archi Theſaurarii Regni Equitis Aquilæ Albæ, primæ admiſſionis apud AUGUSTUM II. R. P. Adminiſtri; quæ mortuo marito nupſerat actuali Archi-Mareſchallo Regni Com. Junoſza-*Bielinſkio* Equitum Aquilæ Albæ Decano; genuerat Iohannes Pr. Radzivil Palatinus Novogrodenſis) cum Comitiſſa Mianczynſkia, Caſtellani Podlachiæ Equitis Aquilæ Albæ, & Duciſſæ Woronieckiæ filia, Palatini nepte; Benedictionem nuptialem impertiente noſtri Præſulis germano Martino Zaluſki Ep. Suffr. Plocenſe. *Zaluſkiis* autem intercedit cum *Mianczynſiis* nexus duplex. Primum, Palatini germana fuit prior conſors Ducis *Oſſolinii* & mater Thomæ Comitis Oſſolinii Capitanei Nurenſis olim Reginæ Catharinæ Duciſſæ Lotharingiæ Equitis honoris (*Chevalier d' honeur* vocant Galli) qui vivit cum Tereſſia Com. de Brezè *Lanckoronia* Caſtellanide Goſtinenſi noſtri Præſulis ex germana ſorore nepte; Deinde prædicti Palatini altera conſors, ſuperſtes, poſt Leduchoſkium Caſtellanum Volhiniæ vidua, eſt de domo *Wierzbovia*, neptis Ludovicæ de Wierzboviis *Zaluſkia*, primo *Lanckoronio* Succamerario Crac. deinde Zaluſkio Hieronymo Caſtellano Ravenſi, noſtri Joſephi Patruo elocatæ.

[80] *Hedvigis* Caroli *Zaluſkii* Supremi in Ducatu Lithvaniæ Culinæ Præfecti Capitanei Livenſis, Noſtri Præſulis Patrui filia, nata ex Francisca de *Kopec*; [poſt Principem *Lubecki* Caſtellanum Minſcenſem vidua,] nupſit *Tyſkievicio*, Capitaneo Retovienſi, ad Comitia Regni aliquoties Nuntio, Filio Capitanei Generalis [inter Palatinos nonam Senatus Curulem occupantis] Samogitiæ, Equitis Aquilæ Albæ, nepoti hodierni Illuſtriſſimi Samogitiæ Epiſcopi eadem Torque Equeſtri inſigniti. Franciscæ ex priori conſortio filius Joſephus Princeps [*Kniaż* vulgares Noſtri vocant] *Lubecki* Caſtellanides Minſcenſis, ſociavit ſibi in thori conſortem, Dorotheam *Oſſolinſciam* filiam Caſtellani Goſtinenſis, & Ludovicæ *Zaluſkiæ* germanæ Noſtri Præſulis Sororis *Tyſkiewicios* quod ſpectat, nemo eſt Polonorum, quem lateat eſſe celeberrimam, & inter primarias numerandam Domum, cum Familia in Michaele Regia *Wiſniowieciana*, tum & *Czartoryſciana*, *Sanguſzkiana*, *Radziwiliana*, Ducalibus, nec non *Sapiehana* pluribus affinitatibus conjunctiſſimam. Per *Kopecios* demum intercedit *Zaluſkio* proximitas cum Comitibus *Sapiehis* Diplomate Principatus S. R. I. olim donatis, quorum arbor Genealogica Anno 1731. curâ Noſtri Præſulis tum Præpoſiti Infulati *Sapieho-Kodnenſis* ad preces Illuſtriſſimi Iohannis Friderici Lucæ *Sapiehæ* tum Caſtellani Trocenſis, ex poſt Archi-Cancellarii Lithvaniæ (Franciſcâ *Kopcia* Filiâ Caſtellani Trocenſis nati) æneis formis ſculpta, cælante Iohanne *Mylio*, commonſtrat aliquam cum omnibus ferè Europæ Principibus ſummis, Sapiehàrum connexionem.

Altera Franciſcæ & Caroli *Zaluſcii* filia *Ludovica*, nupſit Joſepho *Sierakowſki* ſupremo Excubiarum Regni Præfecto, Reipublicæ Polonæ ad aulam Ottomanicam Ablegato, Equiti Aquilæ Albæ, ex qua ille ſuſcepit Filios, & filias minorennes, poſtquam ex priori matrimonio (cum *Mianczynſcia* Filia Palatini Volhiniæ, Sorore 1. hodierni Palatini Czerniechovienſis Equitis Aquilæ Albæ, Patris, tum Capitanei Krzepicenſis, qui in connubio vivit cum Comitiſſa de *Kollowrath* ejusdem cum Comitiſſa de *Brühl* Domus, tum & Principiſſæ *Radziwiliæ* poſt Hieronymum Supremum Lithvaniæ Vexilliferum, Supremi Ducis Exercitus ac Palatini Vilnenſis germanum, Viduæ. 2. hodierni Caſtellani Podlachiæ, Equitis Aquilæ Albæ. 3. Matris Oſſolinii hodierni Palatini Volhiniæ Equitis ejusdem cætus Joſephi, & Thomæ Capitanei Nurenſis, qui in Conſortio habet *Lanckoronſciam* Filiam Caſtellani Goſtinenſis, & Alexandræ *Zaluſkiæ* Palatinidis Ravenſis Noſtri Præſulis germanæ Sororis) elocaſſet filiam, germano hodierni Archi-Epiſcopi Leopolienſis, Equitis Aquilæ Albæ, Venceslai itidem *Sierakovii*, at diverſi Stemmatis.

(81) Cum Comitibus de *Eklen*-von *Hulſen* (vulgo *Hylzen*) quæ eſt antiquiſſima ex *Veſtphalia* oriunda Familia, inter Aborigines numerans duos Magnos Commendatores Ordinis Enſiferorum, cum quibus in Livoniam tranſiit, intercedit quoque Noſtri Præſulis connexio per Ludovicam *Zaluſkiam* neptem, nuptam *Szaniavio* Rankolownicenſi Capitaneo (pronepoti Epiſcopi Cracovienſis matre *Potockia* Primatis Regni nepte) cujus germana vivit cum *Potockio* Capitaneo Blonenſi filio Palatini Volhiniæ Equitis Aquilæ Albæ ex *Oginſcia* (ex qua illuſtri Familia fuit conſors hodierni Caſtellani Vilnenſis Campi-Ducis Exercitus Lithvanici, Equitis Aquilæ Albæ, ex Ducibus, Comitis *Maſſalkii*, egregiæ Prolis, Referendarii, Theſaurarii Curiæ, Pocillatoris, & ejus in eadem dignitate Succeſſoris M. D. Lithvaniæ clariſſimi Progenitoris.) illius autem *Potockii* ex *Oginſcia* nati germana, his diebus nupſit Comiti *Hulſenio* Caſtellano Livoniæ filio Palatini *Minſcenſis* Equitis Aquilæ Albæ, nepoti Epiſcopi Smolen-

ſcenſis itidem Equitis Aquilæ Albæ. Palatini autem conſors, eſt germana Soror Comitis *Plater* Palatini Mſcislavienſis Equitis Aquilæ Albæ, & S. Alexandri, primariæ in Livonia familiæ (filii Palatini Livoniæ, ac nepotis Mareſchalli Curiæ Lithvanicæ) cujus denuo conſors eſt *Oginſcia* filia Palatini Trocenſis, neptis Palatini Vilnenſis Equitum Aquilæ Albæ; matre progenita *Wisniowiecia* filia Palatini Vilnenſis ſupremi Exercitus Lithvaniæ Ducis, Equitis Aquilæ Albæ, *Januſſi* Caſtellani Cracovienſis Fratris, Regis Michaelis pronepotis.

(82) Affinitatem Principum *Lubeckiorum*, [ex qua unus *Joſephus* filius Caſtellani Minſcenſis, Matre *Kopcia* ſecundo voto *Zaluſkia* natus, duxerat ex germana Sorore *Zaluſkii* Noſtri neptem Dorotheam *Oſſolinſkiam*] cum prioribus Lithvaniæ Familiis; & ſignanter cum Domo inſigni *Oginſciorum*, memorat in hujus Domus præcelſæ Hiſtoria titulo - *Annibal ante portas* - R. P. *Pežarſki* Soc. JESU; pag. 37.

Altera quoque affinitas *Zaluſkiorum* cum Ducali Domo *Oginſciorum* intercedit, per Kopciorum triplici nexu *Zaluſkiis* Colligatorum familiam; nempe Nicolaus Dux in *Kozielſko Oginſki* primum Theſaurarius Curiæ Lithvanicæ, poſtea Caſtellanus Trocenſis habuit in connubio *Kopciownam*, cujus proles fuere *Ludovicus* Epiſcopus Smolenſcenſis, *Georgius* Capitaneus Radoſzkovienſis, *Antonius* Capitaneus Bierznicenſis, *Roſa* Conſors Stanislai *Kraſinſki* Caſtellani Varſavienſis; cujus Pater ſociam vitæ habuit germanam ſororem matris Regis Stanislai; *Marcibella* monialis Saleſiana, & *Thereſſia - Franciſca* conſors olim *Maſſalſcii* hodierni Caſtellani Vilnenſis, Campiducis Exercitus Lithvanici, Patris Referendarii Spiritualis, Theſaurarii Curiæ; ac duorum M. D. Litvaniæ Pocillatorum. [vide *Pezarſki* in libro citato. pag. 391.]

(83) Cum in Seminario Presbyterorum Sæcularium Miſſionis Varſaviæ, Theologicum curſum abſolviſſet *Maſſalcius*, & actum ſolemniſſimum tentaminis diſputatorii 1748. die 14ta Octobris in præſentia plurium magnatum exhiberet, in Eccleſia S. Crucis, oppugnavit cum *Hilzenio* Epiſcopo Smolenſcenſi Equite Aquilæ Albæ Noſter quoque *Zaluſcius* [Actus Præſide R. D. *Maszterovicio*] Propoſitiones Theologicæ hac occaſione dicatæ Duci Michaeli *Czartoryſcio* Lithvaniæ Archi - Cancellario editæ ſunt in Folio VII. plagulis, plane eruditæ.

(84) Epiſcopi Præmislienſis Regni Procancellarii ex Fratre [primario ſecundi Ordinis Caſtellanorum Senatore, Caſtellano Sandecenſi] Nepos, junxit ſibi *Wielopolſciam* Filiam ſupremi Regni Vexilliferi, ex germana Comitis *Mniſzech* Curiæ Regni Mareſchalli Sorore, cujus altera neptis erat in conſortio, antequam fatis conceſſiſſet, cum Theodoro *Weſſelio* Regni Architheſaurario, Noſtri Præſulis ex Sorore Nepote.

(85) In Eccleſia hujus monaſterii eleganti formâ à Regina *Sobieſkia* conſtructa, viſitur, à Noſtro Præſule ſcriptum Genotaphium Carolinæ *Sobieſkiæ* Regis Iohannis III. neptis, Ducillæ *Bouillonia*, erectum vero à Fratre Noſtri Præſulis Epiſcopo olim Cracovienſe, quâ tabellarum ultimæ voluntatis Ejus Executore, cui illa apparatum librorum olim *Regio - Sobieſcianum* dono dedit, qui demum Bibliothecæ Noſtri Præſulis, bono publico apertæ, inſertus, & conjunctus eſt.

Additamentum Ad pag. 5.

Cum omnium quotquot unquam *Zaluſkius* poſſedit muniorum, primum in ordine fuerit Archidiaconi in Cathedrali Plocenſi Pultovienſis dignitas, haud ſupervacaneum duxi, pro curâ vacui & ſuperpondii loco, heic appendere Syllabum pietate vel ſcientiâ illuſtrium in Polonia Archidiaconorum, quem in Chartophylacio Illuſtr. Præſulis noſtri, olim ab eo A. 1719. contextum, reperi, eſtque talis:

E L E N C H V S

Quadraginta quatuor Illuſtrium Archidiaconorum in Polonia à Joſepho Andrea *Zaluſki* Archidiacono in Cathedrali Plocenſi, Pultovienſi, 1719.

C O N S C R I P T V S.

Biedkowſki. Archidiaconus Plocenſis. (Ejus Epitaphium apud Starov. in Monum. Sarmat. p. 702.)
Biſkupſki. Archidiaconus Lovicienſis. (Item pag. 708.)
Brumirſki. Archidiaconus Plocenſis. (Item pag. 709.)
Dąmbrowſki. Archidiaconus Gneſnenſis. (Item pag. 35.)
Dąmbſki. Stanislaus ex Archidiacono Plocenſi, Epiſcopus Ploc. tum Vladislavien, demum Cracovienſis.
Foxus, - Iohannes Archidiaconus Cracovien. in opinione Sanctitatis (Starowolſki) in laud. Acad. Crac. p. 20.
Gamrat - Petrus ex Archidiacono Pultovien. Episc. Chelmen. Plocen. Vladislavien. denum ſimul Primas Regni & Epiſcopus Cracovienſis.
Georgius *Imus.* Ex Archidiacono Vilnenſi Epiſcopus.
Gorſki - Iacobus Archidiaconus Plocenſis. (Starovol. pag. 702.)
Gozdawa. Simon ex Archidiacono Plocenſi Epiſcopus.

Iaroslaus. Archidiaconus Cracoviensis. (Star. pag. 36.)
Isdbienski de Rusiec Archidiaconus Posnaniensis, Custos & Officialis Cracoviensis.
Konarski Iohannes ex Archidiacono Crac. Episcopus. (Albertus de Pilzno in Dedic. Reg. Juris Decret. 1536)
Item - Iohannes Archid. Cracovien. (Star. 39.)
Kotficz Nicolaus Archid. Posnan. cujus decisionem de Interdictis, & Excommunicatione inseruit legibus Regni Rex Alexander. (Łaski pag. 69. b.) Starovol. in Monum. p. 559.
Krasinski Archidiaconus Cracoviensis. (Starowol. pag. 26.)
Kretkowski Erasmus Archidiaconus Cracoviensis. (Item pag. 31.)
Kuczborski Valentinus ex Archidiacono Pomeraniæ Episcopus Culmensis. (Starovol. in Monum. p. 35.)
Łancki - Mathias Archidiaconus Pomeraniæ. (Item pag. 407.)
Łącki - Archidiaconus Gnesnensis. (Item pag. 35.)
Leopolita. Iohannes Archidiaconus Lepolien. in opinione Sanctitatis. (vid. *Prusz Forteca* pag. 179.)
Lesniowski. Archidiaconus Gnesnensis. (Starovol. pag. 565.)
Ługowski. Archidiaconus Loviciensis. (Item pag. 690.)
Madalinski - Bonaventura ex Archidiacono Plocensi Episcopus Plocensis, postea Vladislaviensis.
Matthias II. ex Archidiacono Vilnensi Episcopus.
Mauritius. Archidiaconus Curzeloviensis. (Star. pag. 610.)
Melchior II. Eliaszewicz ex Archidiacono Vilnensi Episcopus.
Nidecki. Andreas Patritius ex Archidiacono Vilnen. Episcopus Livoniæ, Scriptor insignis; in Præposit. Vars. meus Prædecessor.
Olesnicki. Nicolaus Archidiaconus Sendomir. in opinione Sanctitatis. (Cichocki in Alloq. Osiec. p. 114.)
Padniewski. Philippus, ex Archidiacono Cracoviensi Episcopus. (Okolski Tom. 2. pag. 286.)
Pawłowski. Stanislaus ex Archidiacono Plocensi Episcopus.
Petrikowski. Paulus Archidiaconus Pultoviensis.
Piasecki. Paulus ex Archidiacono Varsavien. Episcopus Premislien. Author Historiæ Polonæ celeberrimus.
Radziminski Stiborius ex Archidiacono Plocensi Episcopus.
Ręczayski. Hieronymus Archidiaconus Cracovien. in Opinione Sanctitatis. (*Cichocki* in Alloq. Osiecen. pag. 432.)
Samotulanus Gregorius Archidiaconus Posnaniensis, Scriptis clarus.
Stiborius. Ex Archidiacono Plocensi Episcopus. (Starow. in Monum. pag. 775.)
Tarło. - Iohannes ex Archidiacono Cracoviensi Episcopus Kijoviensis, tum Posnaniensis.
Wierzbowski. Stephanus ex Archidiacono Luceoriensi, Episcopus Posnaniensis Nomin. Primas Regni. (amitæ meæ Patruus.)
Wroblevius Martinus Archidiaconus Sendom. in Opinione Sanctitatis. (Cichocki in A. O. p. 346.)
Wyżycki Nicolaus ex Archidiacono Cracoviensi Archi-Episcopus Leopoliensis (meus in Seminario Varsaviensi Consodalis.)
Zalaszowski Nicolaus Archidiaconus Posnaniensis Author Juris publici Poloniæ.
Zielinski Constantinus ex Archidiacono Pultoviensi, Archi-Episcopus Leopolitanus meus Prædecessor.
Zychovicius Stanislaus Archidiaconus Calissiensis, in Opinione Sanctitatis. (Damalewicz in Gnesnen. p. 348.)

Exteri Archidiaconi Sancti, vel in Opinione Sanctitatis.

Aimon. Ejus vitam, ad 21. Julii Mart. Weissbacher in sua legenda exhibet.
Hadrianus. (Item ad 7. Julii.)
Hadrianus V. Papa ex Archidiacono Ultraiectensi.
Martinus. (Item ad 7. Julii.)
Octavianus. (Idem ad 22. Martij.)
Petrus Blesensis Archidiaconus Bathoniensis.
Salutaris. (Item ad 12. Julij.)

Archidiaconi infames.

Berengarius Archidiaconus Andegavensis. (*Douiat* in Syn. Chron. pag. 107.)
Carolostadius Andreas Hæreticus, fuerat Archidiaconus Witembergen. (Otrembus in Vox Clamantis p. 135.)
Penanscius Iohannes Archidiaconus Gnesnensis pessimæ vitæ. (Cromerus pag. 565.)

Notanda.

Archidiaconus Senonensis (Sens) gaudet prærogativâ, quod Solus ipse possit & debeat installare Archiepiscopum, tum & omnes Episcopos Provinciæ Senonensis. (vid. in Bullario Romano.)

Scriptores aliquot de Archidiaconis.

Beyerlinck Laurentius. Oratio in funere Mathiæ *Hovij* pag. 23.
Goetze. Dissertatio Historica de Archidiaconis veteris Ecclesiæ 1687. in Conringii Exercit.
Sarnelli. Lettere Ecclesiastiche. pag. 186.
Januarius. de Officio Archidiaconi. —

Ad pag. 6.

Redux Lutetia, ubi gradum Baccalaurei Theologiæ Sorbonici assecutus est *Zaluskius*: Cracoviæ utriusque Juris Doctor creatus est, uti testatur Matricula Collegii Juris peritorum Universitatis, ad VII. Febr. 1724; hoc tenore: *Absoluta est Promotio pro Doctoratu in Utroque Jure; Perillustris Reverendissimi Dn. Josephi Comitis de Zaluskie Zaluski, Ecclesiæ Cath. Cracov. Canonici, Collegiatæ Pultoviensis Archidiaconi, præsentati per Ill. M. Stephanum Kropski N. I. Prof, promoti per R. D. Lukini (qui postea fuit Canon. Cath. Crac.) præmissa decisione, Punctorum, ex Jure Canonico, cap.* cum in Ecclesia; *de Præbendis ex dignitatibus; & ex Jure Civili, l. generaliter c. de ordine judiciorum. Actus absolutus est in præsentia, totius augusti Capituli Cracov. & Professorum omnium Facultatum Almæ Academiæ,*

